



60 P. Bd.

V<sub>9</sub>

+

36.  
ACTVS  
PROMOTIONIS,  
QVA

DECANO HENRICO CA-  
MERARIO J. V. D. & Professore  
in Academia Rostochiensi, gradus Docto-  
rum & Licentiati utriusq; Juris, clarissi-  
mis viris, nobilitate generis, virtute &  
eruditione praestantibus, D. CHRIS-  
TOPHORO STVRTZIO  
Livono, D. ERNESTO  
COTHMAN Lemgovio,  
& L. VVOLFGANGO  
HANEN Halensi, 8.

Octob. An. 1584.  
collatus est.



ROSTOCHII  
Stephanus Myliander excudit.

ANNO  
M. D. LXXXIIII.

32 a. fin.

AD MICHAELEM GRASSVM & HENRICVM  
CAMERARIVM. I. Cros. clarissimos.

**C**Laram, rutilam, è millibus, aureamq; lucem  
Non lautitiis, munere nullo Dionysi:  
Sed suauiloquo nectare disputationum,  
Mentes avidas mirificis modis alentum:  
Tres laurigero cum iuvenes frondis honore,  
Pridem meritos præmia, donatis amici.  
Tu consilio, iuribus, æquitate præstans,  
Legate, Michaël, ducis inclyti, Themistos,  
Verbo, velut ipso digito, nobile templum  
Veri cupidæ, perugili indicas iuventæ.  
Haud historia, haud Cecropidum, Ausonumque sermo;  
Haud Euepiæ mel liquidum, haud relictæ  
Artis veterum particulae tibi sophorum,  
Solæ facient, perficient, iure potentem.  
Rerum est alius, quam fuerat status per orbem;  
Scripsere alij plurima, negligenda nulli,  
Qui difficili tramite contendat in altum,  
Ad iustitiæ non simulatam impiger arcem.  
Responsa dabis denique non graui sine usu.  
Quare, Camerarj, decus eruditiorum,  
Ætate virens, consilio valens senili,  
Vi Pallados almæ: gradibus doces ab imis  
(Nil tutius est ordine) scandere ad supremos.  
Non ordinis est præside vox dignior: ipsam  
Si qui sapiant, non aliud, putent sequendum.  
Et nos, veteres quod dederunt, probamus æquè.  
Hæc sunt sacra conuiuia mentium sacrarum:  
His, his hodiè, & cum libeat, frui licebit.

IOANNES CASELIVS,

O R A T I O

De ipsis gradibus & promotionibus,  
& quo consilio promotiones in Academijs in-  
stituta sint & conseruentur, *περὶ τοῖς*  
loco habita à

Decano

HENRICO CAMERARIO

I. V. D. & Professore.



*Q*uod ab Eueno græco Elegia-  
rum scriptore versibus prodi-  
tum accepimus:

*Πολλοῖς ἀνιλέγειν μὲν ἔθ' ὡς πᾶντος ὁμοίως,  
ὀρθῶς δ' ἀνιλέγειν οὐκ ἐπὶ τοῦτ' ἐν ἔθει.*

Quorum verborum hæc est sententia:

*Est multis pariter mos omnia carpere, verum  
Reclè qui soleat carpere, rarus erit.*

*Id sanè in omni negotio longè verissimum  
esse experientia quotidiana, quæ in c. quàm  
sit Ecclesiis. De electione in 6. efficax rerum  
magistra dicitur, abundè satis superq; testa-  
tur. Ferè enim nihil quantumuis antea pru-  
denter ac diu multumq; deliberatum geri  
aut institui potest, quin in calumniatorum vo-  
culas & reprehensionem non incurrat, ac fe-*

A 2

*disi-*

disimis sepe conuiciis absq; omni causa pro-  
scindatur. Eadem propemodum ratione,  
praesertim ex vulgo imperito, non desunt, qui  
morem decernendi titulos graduum in Aca-  
demiis bene constitutis multos iam annos re-  
ceptum, non solum improbant et in sinistram  
partem detorqueant, sed etiam maledictis  
quibusq; pessimis insectentur. Verum impe-  
ratorum horum iudicio et iniuria moueri nos  
nefas est, ac decet potius considerare & a-  
nimo ac mente perpendere, institutum id  
semper principibus placuisse viris & iisdem  
adhuc placere, ac prudens consilium maio-  
rum in faciendis gradibus ac decernendis  
titulis fuisse, imò huius rei conseruationem  
esse utilissimam & maxime necessariam.  
De quo etsi multa verba facere in praesentia  
non est necesse, neq; etiam angustia temporis  
patitur, tamen cum pro usitata scholae con-  
suetudine omnino aliquid iam in medium  
proferendum sit, non existimo me alienum  
a praesenti negotio facturum, si τὸ πρῶτον ἐνὶ κρη-  
παχῶν

*παχυλῶς*, ut Aristoteles loquitur, quod sonat  
communiter ac crassiore Minerva, nonnulla  
de ipsis gradibus ac promotionibus dixero,  
et summo digito ac quasi per indicem, quem-  
admodum Iustin. in §. fin. Inst. de publ. iudic.  
ait, tetigero, unde quo consilio gradus ac  
ipsa promotiones publicæ institutæ sint, quan-  
tumq; earum conservatio ad communia lite-  
rarū studia momenti adferat, demonstratur.  
Quamobrem, Magnifice domine Rector,  
Reuerendi & clarissimi doctissimiq; viri,  
ac studiosi carissimi, Magnificentiam &  
Excellentias vestras, reliquosq; vos omnes  
reuerenter & maiorem in modum oratos  
velim, fauete mihi, & imbecillitati meæ,  
quam lubens agnosco & deploro, vestrum  
candorem & humanitatem adhibete, &  
quæ desiderabuntur, partim etiam luctui  
& molestiis ex obitu venerandi mei soceri  
domini ALBERTI DOBBINI  
his ipsis diebus piè defuncti conceptis, quæ  
fecerunt, ut animum ad cogitandum rectè

A 3

insti-

instituire non potuerim, imputate.

Diuinis ingenij frugibus abundans Seneca diuino quodam instinctu multa protulit, ad rerum optimarum cognitionem, maxime veritatis pertinentia, ex quibus illud, quod in epistolis reliquit, non vulgare est: *Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus. Ac in confesso est, unde hoc mali oritur, ut multi necessaria ignorent, & non necessaria discant. Temere enim sine certa ratione & ordine ac veluti cæci viæ ignari per studiorum labyrinthos incerto motu errant, & ut vulgò dici solet, τρέχουσι μὲν ἀπὸ ἀπὸς τῆς ἰδοῦς.* Atq; inde sæpè fit, ut multi, qui multos annos in studiis contriuerunt, non minus tamen ad quamcunq; functionem suscipiendam idonei sint, quàm simiæ apud Hermogenē ad condendas vrbes aut aedes extruendas. Ex diuerso autem luce meridiana clarius est, certum ordinem & modum in studiis seruare, ad veram & solidam eruditionem comparandam multum momenti habere et ad.



Et adiumenti adferre. Et alioquin in omni  
re verissimum est, quod Demosthenes dixit,  
κόσμιον οὕτως ἔσ' εὐχρηστον ἔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις.  
Ita per ordinem, confusionem evitari, iura  
nostra notarunt, §. inordinatum, in auth.  
De hered. Et falcid. Et ordo entium modus  
à Bald. in proœmio Digestorum appellatur,  
diciturq; is in iure presertim laudabilis,  
Bald. in leg. 2. in princ. De orig. iur. Cagnol.  
in rubri. De reg. iur. Ordo deniq; plurimum  
iuvat memoriam, que aliàs infirma est, l. pe-  
regrè. De acquir. vel amitt. possess. nec omnia  
retinet, Omnium enim habere memoriam  
Et penitus in nullo errare, divinitatis potius  
quam mortalitatis est, l. 2. §. si quid autem  
in tanta. C. de veteri iur. enucl.

Considerarunt ergò primo loco maiores  
nostri, viri prudentes Et rerum peritissimi,  
nunq̄ quenq̄ ad ullam eruditionem solidam  
pervenire posse, qui oscitãter, temerè Et solutè  
sine certa via Et ratione extremis tantum  
labiis varia nunc hæc nunc illa degustet, nec  
ordine

ordine per circulum doctrinarum incedat.  
Quare necessarium eis visum est, monstrare  
imperitis adolescentibus discendi rationem,  
qua velut Ariadnes filo deducti metam &  
finem studiorum optatum assequi possent.  
Eam verò rem via illa rectissima et pulcher-  
rima aggressi sunt. Certos enim gradus, quos  
vocant, quasi classes, excogitarunt, & in  
scholis maioribus instituerunt, quibus adole-  
scentes tanquam cauea includerentur, ne intempe-  
stivè aut ambitione aut spe questus ad altio-  
ra, quorum fructus obversatur oculis, con-  
temptis inferioribus, quorum vel splendor  
minus apparet, vel quæ ad farinam facere  
non videntur, properarent. Singula sanè di-  
sciplina & artes infinitam sapientiam conti-  
nent, tantum abest, ut ab uno homine peni-  
tus exhauriri possint: Attamen opera dan-  
da est sedulo, ut summa singularum partiù  
mediocri studio percipiantur. Et in singulis  
disciplinis, quibus quis se totum dedit, ea via  
instituenda est, ut iusto ordine & apto tem-  
pore.

pore à primis initiis ad grauiora paulatim  
ascendatur. Nam à minimis est inchoan-  
dum, ut ad maiora perueniamus, & nemo  
repentè fit summus, c. charitas. §. hæc quæ de  
charitate. De pœnitent. dist. 2. Ideoq; quod  
Hippocrates de sanandi arte dixit: *ὁδὸν μι-  
κρὸν οὐδὲν παρὰ φρονητέον.* id non incommode de  
initiis singularum disciplinarum usurpa-  
mus. Et quidem etiam verissimum est, te-  
nera ingenia multa simul cognoscere non pos-  
se, quæ verò iuxta vires eorum traduntur,  
ea commodissimè ab illis arripi, quemad.  
vascula angusti oris superfusam humoris co-  
piam respiciunt, sensim verò instillantibus  
replentur; qua similitudine Quintilianum  
uti meministis. Ac de iure nostro rectè Imp.  
Iustinianus in §. his igitur generaliter, Inst.  
De iusti. et iur. monet, ita tradi omnia com-  
modissimè, si primò leui ac simplici via, post  
deinde diligentissima atq; exactissima inter-  
pretatione singula tradantur, alioquin si sta-  
tim ab initio rudem adhuc & infirmum ani-

B

mum

num studiosi, multitudine ac varietate oneraverimus, duorum alterum aut desertorem studiorum nos eum effecturos, aut cum magno labore, sæpè etiam cum diffidentia, quæ plerumq; iuvenes auertit, serius ad id perducturos, ad quod leuiore via ductus sine magno labore & sine ulla diffidentia maturius perduci potuisset. Hinc idem Imp: noster Iustinianus in constitutione, quæ incipit, omnem & ff. præfixa est, ordinem & modum discendi ius nostrum præscribit, & ut quinq; annos iuris studio deputat, ita singulis annis certos gradus constituit, ijsq; studiosos, ut eò diligentius progressum suum et finem studiorum curent, ornat. Ac primo quidem anno, quo institutiones veluti totius legitime scientiæ prima elementa disci & iis primam pandectarum partem, quæ τὴ πρώτη appellantur, adiungi vult, eos Iustinianeos novos vocat, secundo anno, quo secundam et tertiam partem pandectarum præscribit, Edictales nominat, tertio anno Papinianistas, quarto  
anno

anno λότας et quinto demum πένυλας, quod le-  
gum quasi anigmata per se solvere possent &  
nihil legitime scientia illis deesset, appellavit.  
Atq; hi gradus ac honores fuerunt, quibus stu-  
dium iuris nostri, Imp. Iustin: tempore cupi-  
da legum iuventuti commendatum est. Cæ-  
terum hi gradus à Iustiniano in iure nostro  
constituti paulatim exoleverunt, ac eorum lo-  
co illi alij Baccalaureorum, Licentiariorum  
et Doctorum, quos quidam tempore Impera-  
toris Lotharij Saxonis cepisse arbitratur, in-  
troduciti sunt: Viriq; sanè eo fine facti, ut qui  
egregiam operam in studiis nauasset, honesto  
titulo tanq; premio ornaretur. Virtutum e-  
nim præmia tribui benè merētibus conuenit,  
ut optimi Impp. Theodos. & Valentinia.  
in l. et virtutum. C. de statu. & imagin. con-  
stituerunt. Atq; hæc altera causa est, cur i-  
sti dignitatum tituli sint excogitati, ut iis  
tanq; premiis quibusdam iuventus ad bona-  
rum artium & disciplinarum studia inui-  
taretur. Honos enim, autore M. Tullio in

1. Tusculanarum quaestionum, alit artes,  
omnesq; incenduntur ad studiagloria, & ia-  
cent ea semper, quae aut negliguntur aut im-  
probantur. Meministis quomodo de hono-  
ribus scholasticis Solon apud Lucianum in  
Anacharsi loquatur: Opinamur verò, in-  
quit, ò Anacharsi gymnasiorum desiderium  
in iuuenibus magis accendi, si eos qui optimè  
se gesserunt, honorari conspexerint, & in  
medio graecorum praconis voce magnificè  
proclamari, & non pauci ex spectatoribus  
virtutum ac laboris amore inflammantur.  
Itaq; si quis ex communi hominum vita  
laudis & gloria amorem eijceret, quidnam  
amplius praeclara rei ille nobis faceret reli-  
quum? Si incitamenta honestatis & virtu-  
tis scholis subtraheret, nonne omnem quoq;  
diligentiam, sedulitatem & studium unico  
cumulo tolleret? Quare enim inter currentes  
in stadio, huic quidem intēdendus est ac per-  
ficiendus cursus, ac ad metam magis nitē-  
dum quàm alteri, si nulla victoria ac premij

ex-

expectatione accendetur? Vt rectè Iuena-  
lis dicat, *Quis enim virtutem amplectitur  
ipsam, premia si tollas?* Rectè ergò maiores  
nostri certos honores iuventuti in scholis pro-  
posuerunt, quibus ad bonarum artium &  
disciplinarum studia ordine discenda inci-  
taretur. Ac gradatim hos ipsos honores  
deferri voluerunt. Inde factum est, ut qui  
initia disciplinae, in qua quis gradum sibi at-  
tribui petit, mediocriter percepit, ei primus  
titulus, qui à lauri bacca nomen habet, con-  
cedatur: Ei verò qui aliquantò longius in  
studiis progressus est, et suæ eruditionis pu-  
blicum specimen edidit, secundus titulus Li-  
centiati tribuatur, & deniq; ei, qui ad fa-  
stigium doctrinae peruenit, summus gradus  
Doctōris & Magistri conferatur. Magi-  
stri namq; etiam Doctores appellantur.  
Textus est in proœmio compilationis decre-  
taliū & non tantum id Alciatus, verum  
etiam Summa Angelica in verb. Doctōr, no-  
tauit. Vt autem ita gradatim honores scho-

lastici deferantur, legibus nostris convenit.  
Nam ut gradatim honores deferantur edi-  
cto: & ut à minoribus ad maiores perveni-  
atur, epistola Diui Pij ad Titianum expri-  
mitur, quemad. Modestinus Iureconsultus  
in l. ut gradatim. de muneribus et honoribus  
tradit, cui correspondet l. honor. §. gerendo-  
rum. Eod. tit. et c. legimus in fine. 93 dist: &  
c. si officia. 59. distinct. Sanè privilegia prio-  
ris dignitatis propter superuenientem ali-  
quam novam dignitatem superiorem non a-  
mittuntur. Ita enim Constantinus ad Num-  
phidiū rescripsit, maior dignitas nulli debet  
circa prioris dignitatis seu militia privilegia  
præiudicium facere l. 3. C. de dignita. lib: 12.  
Verum quidem est, eum qui post priorem  
dignitatem superiore aliqua ornatur, prio-  
rem quo ad munera & onera amittere. At  
quo ad privilegia & honorem eam retinet.  
Sic municeps esse desinit, senatoriam adeptus  
dignitatem, quantum ad munera, quantum  
verò ad honorem retinere creditur originem,  
quem-



quemad: noster Hermogenia. loquitur in l.  
municeps. Ad municipal. Sic Doctorem iu-  
ris privilegia scholaris siue studiosi retinere,  
oneribus verò premi non posse, DD. nostri in  
auth. habita. C. Ne fil: pro patr: constanter  
tradiderūt, & docet idem Pet. Lenauder. in  
tract. De oneribus Doct. qui extat lib. 11  
tractat. DD. par. 4. questio. 98. Ad eundem  
modum silentarius, si ad superiorem gra-  
dum transcenderit, privilegia, quae ipsi antea  
competebant, non amittit l. 3. C. de silentariis  
lib. 12. Similiter tribunus notarius si ad ma-  
iorem dignitatem pervenerit, propter eam  
prioribus privilegiis non excidit l. 1. C. de pri-  
miceriis lib. 12. Sed & id constat, Licen-  
tium quoad fauores, secus quo ad onera,  
pro Doctore haberi. Et hoc tradit Petr. Le-  
nauder. in d. tract. De oneribus DD. in 4  
part. questio: 3. ubi complures ita sentien-  
tes citat, eamq; opinionem tenet Alexander  
in l. mulier. § non est dubitandum. Ad  
SC. Trebellia: dicens eam esse communem.

Ac

Ac utrum Baccalaureus vel Licentiatus,  
qui iuravit, se non sumpturum alibi gradum,  
quam in illa universitate, ubi ipsi licentia  
concessa est, superiorem gradum alibi petere  
possit, docet Pet. Rebuffus in tract. De privi-  
leg. scholarium, qui in eodem lib. 11 tractatum  
Doctorum extat, cap. 76. ubi concludit, id  
sine metu periurij fieri posse propter novum  
examē, quod ibi subire tenetur c. 2 de renun-  
ciatio. Et ibi gl: ac DD. qua de re latiore  
disputationem instituere tempore excludor.  
Certè eos graduum titulos, quos diximus,  
etiam illam ob causam sapienti maiorum  
consilio excogitatos ac publicas eorum re-  
nunciationes decretas esse, ne sine publicis te-  
stimoniis homines inexplorati munus docen-  
di invadant Et functiones indoctis aut dis-  
solutis sed eruditiss et modestis ac ad docen-  
dum, respondendum Et gubernandum ido-  
neis commendentur, nemo est qui ignoret.  
Et quid queso tam necessarium est, quam ca-  
uere, ne homines pravis opinionibus fascina-  
ti Ec-

ti Ecclesiis aut Rebus pub. præficiantur? Pa-  
tet quidem ex l. 2. circa fin. De orig: lu. ante  
Augusti tempora, eos qui fiduciam studio-  
rum suorum habebant, in publicum quoti-  
diè prodeuntes unicuiq; cum consulendos se  
antiquo instituto præbuisse, consulentibusq;  
ex æquo & bono respondisse, neq; fuisse opus,  
ut publicè respondendi ius à principe petere-  
tur. Verùm in eadem lege postea additur,  
Divum Augustum, ut maior iuris auctori-  
tas haberetur, constituisse, ut ex eius aucto-  
ritate responderet, & ex illo tempore peti hoc  
pro beneficio cœpisse. Atq; hinc potestatem  
de iure respondendi, quæ Doctõribus adhuc  
datur, originem sumpsisse cum Zasio in d. l.  
2. §. & obiter. in verbo. auctoritate nu. 6.  
De origine iur. non inconcinnè suspicamur,  
eamq; facultatem de iure respondendi non  
temerè cuilibet, sed iis tantum, qui interue-  
niente principis auctoritate in publicorum  
gymnasiorum examine & disputationibus  
propter iuris cognitionem & vitæ inno-  
centi-

C

centi-

centiam idonei reperti & approbati sunt,  
concedendam esse affirmamus.

Habetis, quæ de gradibus & ipsis pro-  
motionibus publicis in presentia dicere po-  
tuimus, quæ promotiones quia non tantum  
in Vieneri concilio sub Clemente Papa 5. ap-  
probatae sunt, legibus sumptuariis prescriptis,  
ne qui propter inopiam rei familiaris &  
sumptuum magnitudinem à re tam utili  
abstinerent, uti ex c. 2. De magist. & ne  
quid exigat. pro licent. docen. in clementi.  
lib. 5. videre est, verumetiam historiis testi-  
bus à laudatissimis quibusq; principibus cer-  
tis privilegiis ac beneficiis sunt ornatae, idcirco  
calumniatorum reprehensionibus moueri,  
aut ab honesto studio deterreri non debemus,  
sed satius est, ut exemplo Severi Imp. inten-  
ti simus in ea, quæ sunt agenda & vulgi de  
nobis fabellas contemnamus. Ille enim, ut  
Xiphilinus de eo refert, Ἰπικμελὴς ἦν τῶν πρακ-  
τικῶν, ἀμελὴς τῶν περὶ αὐτοῦ λογοποιουμένων. Et hæc  
antequam ad ipsum actum promotionis  
progre-

*progredieremur, ita breuiter duximus pra-*  
*sentanda.*

**N**unc ad id, quod res ipsa postulat, auxilio domi-  
ni nostri Iesu Christi, in cuius nomine ad omnia  
consilia, omnesq; actus semper progredimur l. 2. C. De  
offi. praef. praeto. Afri. accedemus.

Et quia secundum Academiae nostrae statuta & inue-  
teratam consuetudinem imprimis requiritur, vt domini  
Baccalaureandi, antequam promoueantur, iureiurando  
vfitato se obstringant, id Hermanne, vt publicus Acade-  
miae minister, ab eis consueta forma exigit.

*Præstitum est à Baccalaureandis iusiurandum vfitatum & au-*  
*rum ac argentum pro consueto more ministro Academiae datum est*  
*qui id publicè cum gratulatione significauit.*

P R O M O T I O B A C C A -  
L A V R E O R V M

Veritas ipsa sibi testimonium tribuit vbiq;, inquit Ga-  
lenus. Propterea longa commemoratione, qua in rebus  
ambiguis & ignotis opus est, non vtar. Nota enim est  
doctissimorum dominorum candidatorum diligentia,  
quam in studio iuris aliquot annos tum in hactum in alijs  
Academijs feliciter impenderunt. Nota quoq; est ipso-  
rum eruditio quam in publica disputatione proxima, &  
alijs disputationibus priuatis multis, atq; etiam in collegij  
nostri examine & alijs abundè testatam fecerunt. Nota  
deniq; est ipsorum modestia & vitæ innocentia. Quam-  
obrem collegium nostrum communi consensu eos gradu  
Baccalaureorum dignissimos iudicauit. Ergò auctorida-  
te publica, qua in praesentia fungor, nomine totius colle-  
gij nostri, vos duos ornatissimos iuuenes, te ERNE-

C 2

STVM

STVM COTHMAN Lemgouium, & te V VOLF-  
GANGVM HANEN Halensem in I. V. Bacca-  
laureos, in nomine patris & filij & Spiritus sancti creoa ac  
promoueo, & Deum opt. max. ardentibus votis inuoco,  
vt vestra studia & actiones ad nominis sui gloriam, Ec-  
clesiæ et Reipub. salutem ac multorum vtilitatem clemen-  
ter fortunet.

CONVERSIO ORATIONIS DECANI  
AD VICECANCELLARIVM.

Clarissime domine Doctor Grasse, Vicecancellarie ma-  
gnifice, & collega colende. Qui in studio iuris nostri,  
sic se eruditos ostendunt, vt spes eos pulcherrima foueat,  
posse Rempub. in partibus eius ipsis aliquando creden-  
dis, gubernari: eos meritò omni laude ac honore prose-  
quimur, ac quibus possumus modis, iuuamus ac promo-  
uemus. Inter hos collegium nostrum refert duos hos or-  
natissimos iuuenes ERNESTVM COTHMAN  
Lemgouium, & VVOLFGANGVM HANEN  
Halensem, propter eruditionem, quam & in publica di-  
sputatione & in priuato examine deprehendit, & morum  
integritatem, quam illi apud nos cum laude probarunt.  
Ideoq; collegium nostrum eos testimonium suæ erudi-  
tionis & doctrinæ petentes, ampliore honore, quàm illis  
iam collatus est, dignos pronunciauit. Cùm autem in  
huiusmodi testimonij & honoris publica renunciatione,  
opera & auctoritate illustrissimi principis & domini, do-  
mini VDALRICI Ducis Megapolensis, principis in-  
clytæ & vetustæ gentis Henetæ, Rostochiensium & Star-  
gardiorum domini, Comitum & administratoris Suerinen-  
sis, Academiæ nostræ Cancellarij dignissimi, principis  
nostri clementissimi, perpetua subiectione & fide colendi  
opus sit, & ipsius celsitudo suas partes Exc. tuæ hoc tem-  
pore

pore commiserit, ideò amanter ac maiorem in modum collegij nostri, meo & candidatorum nomine ab Exc. T. peto, vt vsitato in Academij more facultatem & licentiam, vt vocant, accipiendi gradum & insignia Doctorum vtriusq; Iuris, duobus hisce eruditis & modestis adolescentibus conferre non graueris. Id gratissimum collegio nostro erit, ac eo beneficio dominos candidatos ad perpetuam gratitudinem & obseruantiam tibi deuincies, & nos Exc. Tuæ studia nostra vicissim pollicemur.

Clarissimi dn. Vicecancellarij D.

D. MICHAELIS GRASSI, De Legum interpretibus & interpretum scriptis oratio: & licentiæ petendi gradum & insignia doctorum in vtroq; iure concessio.

**E**Xcusat me publica consuetudo, et demandati muneris ratio, quòd in hoc loco de iuris ciuilis professione verba facio. Etsi verò arbitror, vos eruditissimos homines & LL. studiosos, nulla de re libentius audire, quàm de ea scientia, quæ propter doctrinæ & rerum varietatem ac suauitatem longè princeps est omnium philosophiæ partium & de humano genere optimè meretur: ego tamen, vt quantum possem, leuarem fastidium, institui orationem de LL. nostrarum interpretibus & illorum scriptis: an scilicet absq; illis iurisperitus rectè dici possit? an is possit apertè de iure respondere, (qui vnus iurisconsulti scopus esse debet) sine variarum ac propè innumerabilium quæstionum cognitione & prudentia? num ad hominum consultationes admouere mentem, nisi diligentissimè omnia peruestigarit, quæ de controuersis & litibus ab alijs explicantur. Atq; vt ipsa hinc principia iuris repetam, quibusq; ex fontibus hoc ortum sit; inuenimus non abditos quidem illos & reconditos esse, sed

se, sed ex ipsis omnino mentis humanæ penetralibus sca-  
turire, proindeq; legem à prudentibus definitam esse, ra-  
tionem summam insitam in natura, quæ iubet ea, quæ  
facienda sunt, prohibetq; contraria, vt nisi planè corru-  
pto sit ingenio præditus, nemo non ipse quid in quaq; re  
sit iustum & æquum, quid iniquum & turpe, magistra na-  
tura secum norit dijudicare. Imò verò vsq; eo innata  
sunt nobis illa iuris præcepta: honeste viuere, neminem  
lædere, ius suum vnicuiq; tribuere: Vt ea si minus opere  
persequamur, animo certe atq; intellectu qualia sint, asse-  
quamur. Quanquam ista commoditas, quæ tamen sum-  
ma & incomparabilis meritò videri debet, vt maximè in  
hoc genere non reperiretur, & illa iuris & æqui cogno-  
scendi ius à natura insita in nullo eluceret, quæ tandem  
professio nostra est? in qua tractamus res cognitu mini-  
mè difficiles. Omnia enim ( vt scribit homo sapientissi-  
mus, & idem à puero in iuris studio versatus M. Cice-  
ro ) posita sunt ante oculos & in medio collocata in vsu  
quotidiano, in more, in congressione hominum, atq; in  
foro. Ideoq; vulgares etiam homines atq; ideotas repe-  
ries, qui iusti intelligentiam suo ingenio profiteantur.

His accedit, quod Iustinianus Imp. scriptum reliquit,  
& Neratius iurisconsultus comprobauit iuris ciuilibus scien-  
tiam certam atq; finitam esse & esse posse, quasi dicerent,  
quod iuris ciuilibus theoremata & præcepta definitis quibus-  
dam finibus circumscribi, eademq; in sua principia & cau-  
sas resolui possint, cum nihil sit in iure, quod ad præcepta  
vniuersalia redigi & aliqua ratione constringi non possit.  
Ideoq; inuenti sunt multi, qui hanc scientiam in volumi-  
nibus Iustiniani contentam esse dicerent, neq; quicquam  
vltra homini iurisconsulto tentandum esse existimarent.

Verum enimvero, si cum præclara Iurisconsultorum  
Volumina, tum multiplices temporum vicissitudines,  
perspi-



perspicaciori animi solertia, aliquanto exactius inspexerimus, absq; vilo negotio diuersum animaduertentes, imminuendam esse secus existimantium opinionem, apparebit.

Primum omnium igitur summæ sapientiæ & præclaræ eruditionis Vlpianum ( si placet ) audiamus, qui natura rerum ita conditum esse perspexit, vt plura sint negotia quàm vocabula, Non igitur possunt omnes articuli figillatim aut ll. aut S C. compræhendi, sed quotiens lege aliquid vnum atq; alterum introductum: bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, interpretatione eius, qui Iurisdictioni præest, supplenda sint: & quemadmodum Hermogenianus scriptum reliquit, ex his quæ à Icto. relata sunt, cætera ex longa consuetudine intelligi poterunt. Manifestum igitur est, non esse tantam humani ingenij industriam neq; vsq; adeo prodire mentis solertiam, vt negotiorum infinitatem, verborum copia explere, penuriam vocum exsatiare, vberimam negotiorum amplitudinem pari dicendi ratione exæquare possit. Quantò igitur minus futuros rerum adhuc incognitarum nodos superstitione coniectura indicare, infinitas casuum inopinatum difficultates extricare, per eandem rerum naturam licebit. Hoc egregium, prudens atq; sincerum Vlpiani iudicium agnoscamus: Et cum leges generaliter scriptæ sint, non opinemur, vel singula legibus comprehendere, vel iurisperitiam ex sola legum lubrica cognitione dependere, sed longa consuetudine vsu atq; exercitatione addisci.

Hinc est quod libro septimo epistolarum Pomponius discendi cupiditate, quam solam viuendi rationem optimam in octauum & septuagesimum annum ætatis duxit, memor sit eius sententiæ, quam Iulianus dixisse

fertur: etsi alterum pedem in tumulto haberem, non pigeret aliquid addiscere. Eandem ob rerum peritiam, quæ optimum præstat legum intellectum, Iulianum Iurisconsultum in Ægyptum profectum fuisse, legum memoria expressum est. Atqui dicta adhuc citra omnem dubitationem vera sunt, omnium vnanimi suffragio, non solum si ad Vlpiani tempora animum mentemq; referamus, verum si eadem Reipub. forma, eadem rerum omnium facies, eadem Iudiciorum ratio Opt. Max. benignitate superstes confisteret.

Iam verò cum florentissimæ Romanorum Reipub. vix vmbra, vix extrema quædam rudera, simulacrum atq; imaginem contueri licea; Quis in amplissimis ff. & C. voluminibus mediocriter versatus, maximam partem eorum, quæ in iure ciuili habentur, Imperijs translatis, Iudicijs reformatis, forma Reipub. penitus euersa, religione mutata atq; renouata, tacita gentium consensione prorsus abolita ex vsu recessisse non animaduertit? Adeò, vt nihil magis laboriosum, nihil maioribus difficultatibus obstructum sit, atq; aliquam ll. vtilitatem demonstrare.

Quare licet eas diligentissimè euoluerit, anxie perspexerit, probè discussit, in præsentem rerum vsum accersitus, lubens & ingenuè fatebitur, maximam partem eorum, quæ hisce temporibus eueniunt, nec quæstra in legibus, nec discussa reperiri, nec ad summa illa genera veterum codicibus contenta vlla ratione applicari posse. Etenim quis casus veterum Iurisconsultorum seculo insolitos, & nunquam auditos ex tot & tantis temporum vicissitudinibus, mutationibus, reformationibus consecutos ad legitimos tramites & Iuris amussim ritè vocabit? Nisi præclarissimorum iuris magistrorum auxilio  
stipatus,

stipatus, Bartoli summi interpretum coryphæi opera erectus, aliorumq; diuorum venerandæ memoriæ patrum approbatione confirmatus vtramq; Reipub. formam, æqua limati iudicij lance æstimauerit, consuetudine optima legum interprete recepta cognouerit, vsu & experientia omnium rerum magistra probauerit.

Quamuis enim eximium & nunquam satis laudibus celebratum D. Iustiniani Imperatoris, serenissimæ recordationis, in legibus ferendis, & enucleandis fuerit studium indefatigatum: attamen sequentium Imperatorum tum negligentia, tum barbaris moribus, legum volumina tantis vigilijs elaborata & politioris Romanæ linguæ studia interciderunt: Dein alijs legibus nouisq; consuetudinibus populus Romanus vti cœperat. Etenim Carolus Magnus Rex Francorum, Romanorumq; Imperator, Longobardicas leges simul & Salicas ab Italis custodiri mandauit. Tandem Lotharij Saxonis Imperatoris temporibus Irnerius, maximæ eruditionis & anxie diligentie iuris antecessor, primus omnium Romanarum Legum rugosa volumina inter pulueres vix agnita reperit, atq; ex tenebricosis angulis in lucem, summa cum laude, & gloriosa Romanæ Reipub. vtilitate reuocauit. Sic restituta iuris studia vbiq; summa solertissimorum virorum industria reflorescere cœperunt, atq; ex Irnerii schola tanquam ex equo Troiano prodierunt viri, summis ingenii dotibus & præclara maximarum rerum cognitione præditi, veluti Placentinus, Martinus, Ioannes, Rogerius, Azo, Odofredus, Acursius, & qui eorum vestigia ad hæc vsq; tempora secuti fuerunt. Hi quasi imaginem veteris Imperij nobis restituerunt, LL. Romanas ad tempora nostra accommodare docuerunt, & huic vnice studuerunt, vt iuris ciuilis locos non modo

D

spaciis

spaciis dissipatos, sed natura propè contrarios & aduersos eodem vinculo colligarent, nataq; ingenij & iudicij laude in innumerabilibus dubitationibus dissoluendis versati sunt, vt illorum opera ad multarum causarum negotiorumq; decisiones non vtilis tantum, sed & præstantissimorum iurisconsultorum testimonio necessaria sit. Nihil non ingenio sublimi, indefatigabili diligentia, inexhaustoq; labore acutissimè excogitarunt, nihil non fusissimè explicarunt, nihil in quæstionem vocatum diligentissimè non discusserunt: Vt fatendum omninò sit, plures decisiones in interpretum & vnius Baldi commentariis, quàm toto iuris corpore extare: Quinimò ea quæ hisce temporibus in communi hominum vita accidunt, apertius & commodius in interpretibus quàm ipsis legibus quæsitæ & discussa reperiri. Hos iuris Magistros quisquæ verè Iureconsultus in ciuitate nominari, easq; partes sustinere præsumit, vt de omni re, quæcunq; in discrepationem litemq; cadere possit, rogantibus respondeat, necesse est vt consulat, seq; ex illorum commentariis rerum & sententiarum copiis instruat. Ita enim fiet, vt singulorum factorum q. silua comparata, nulla ferè res in quæstionem venire possit, quæ non antè fuerit visa & audita, vel quam ipse adiutus particularibus præceptis ab infinita quæstione ad speciem certam adducere non possit.

At si ex aliorum monumentis animum delibatum non habeat, vix est vt de his rebus, quas in pandectarum libris ne lynceus quidem animaduertat, certo iudicio differere possit.

Sed hæc non eò pertinent, vt eos quorum noua est ad hanc doctrinæ partem ingressio ab ipsa pandectarum lectione ad novos Doctores velim deducere. Quid enim  
in hac

in hac scientia præclarum, quid homine iureconsulto dignum esse potest, nisi libros illos, ex quibus iurisprudentia nata est, diu multumq; euoluerit? Sed hoc ostendo, si quis ciuili disciplinae fructum in usu potius quam scholæ exercitatione ponit: Sicut reuera studij nostri finis actio & praxis est: ad illos pandectarum libros hoc requiri, vt recentium volumina adiungat, vt quæ ex summis veterum Iurisconsultorum generibus obscuritatem essent habitura, ea aliorum labore, rebus speciatim & particulariter designatis compleat. Sed quæ est huius temporis hominum insolentia & gloriæ cupiditas, iam in iure ciuili quorundam increbuit familia, palestræ magis, quam fori & contentionis propria. Qui dum soli in hac scientia nominari volunt, veteres illos iuris magistros à se excludunt: Vtiles & propè necessitate receptas vel cum ipsa renatas eorum partitiones ob solam verborum nouationem euertunt & conuellunt: amputant ex illorum scriptis ea, ex quibus scientia non cumulatior, sed pauperior existit: damnant veterum sententias solius ingenii ostentandi gratia, refellunt omnia, quæ primum ex medio iure manata, nunc ab omni natione & populo certa & iudicata comprobantur: deniq; multa à recentioribus diuinitus inuenta torquent & euertere conantur.

Ipsi verò in interpunctionibus & momentis mirificè occupantur, & huic generi vnicè incumbunt, vt ex Græcorum & Latinorum fontibus veterum responsa illustrent, & si quæ sunt in ista ciuili disciplina, quæ gentium omnium moribus, & quasi publico silentio explosa sunt, si quæ subtilitate magis quam æquitate perpetua commendantur, si quæ potius propter rationem disputandi, quam pro communi utilitate sunt inuenta; ea verò cupidi homines in sermonibus suis complectuntur. Quo quidem

hoc efficere videntur, vt redeuntes ab ipsis nihil sciant minus, quàm quæ ad facultatem respondendi pertinent: quamuis sexcentas etiam LL. vno spiritu, vt dixit Erasmus, citare possint, sed tamen nec rectè illas intellectas, In summa muti sunt in serijs rebus, in argutijs loquacissimi.

Quanq̃; tamen hæc nostra non est opinio, vt homini Iuriconsulto verborum simplicium aut collocatorum cura sit negligenda, quorum notatione sæpe graues controuersia terminantur, vel vt viris illis doctissimis, & sua laude dignis quid præscribere velim. Sed quod doctissimorum opinione ita ciuilem scientiam tractandam existimem, non vt subtilitati inseruiatur & verbis, sed vt ad forensem vsum & publicum transferri possit. Ac profecto illud non diffiteor, si dictionem verborumq̃; structuram spectemus, non ita decorè in interpretibus nostris, non ita ornatè extrema cum primis cohærere, vt aptissimarum vocum concinnitas orbem quendam conficere videatur, res tamen pulcherrimæ incondito sermonis genere efferuntur: & in magna arte in eminentissima & excelsa legalis eruditionis scientia incommodiorum verborum cicatrices potius tolerare nos decet, atq̃; summarum rerum interitum & periculum vltro accersere videamur. Quod si Vlpiano verborum penuria optimum præstat patrocinium, qua inhumanitate Bartolo & reliquis eiusdem farinae interpretibus eandem defensionis rationem denegabimus? hi in omnium artium excidio & mera barbarie, ille omnium scientiarum flore: hi in summis temporum difficultatibus, ille in maximarum dignitatum honore vixit. Quemadmodum itaq̃; summus ille pater eloquentiæ Cicero, Curij, Fabricij, Pisonis & aliorum prope eius ætatis innumerabilium fragilitatem  
non

non hominum, sed temporum esse dicit: sic nos, qui ex illorum scriptis meliores facti sumus, ieiunitatem illam verborum, non hominum, sed temporum esse dicemus.

Iam vero nihil negotij faceffunt ea, quæ superius de iure naturali proposita sunt. Etenim quis inficiabitur iuris nostri originem à natura tanquam ex limpidissimo fonte deriuari? Nemo profecto nisi idem improbo ore æternam mentem omnium rerum architectatricem Deum truculentus respueret. Itaq; si lex ita definitur, quæ iubet facienda & prohibet contraria, liceat profecto philosophis esse iurisperitissimis, in quorum libris de vitæ officijs, de expetendis & fugiendis multa egregiè vtiliterq; explicantur. Quippe illa iuris præcepta, honeste viuere, neminem lædere, ius suum cuiq; tribuere, non magis iurisconsultorum quam philosophorum dici possunt. Verum iuris nostri disciplina nequaquam segetem gloriæ in eiusmodi generalium axiomatum turpis & honesti traditione locat: sed vltèrius progreditur, habetq; aliquid proprium, in quo veluti in silice sacratissimarum legum virtus delitescit. Nam multæ incidunt rerum & euentorum varietates, quæ naturam vel mirificè suis ornatam præsidijs latere possunt, quas ipsa pro perspectis & iudicatis ponit, & quod iure cautum est, id æquum vel iniquum non natura sed opinione & authoritate iudicantis censetur. Quod si igitur de patris hereditate quærat: an ad filium pertineat, philosophus ad æquitatem æquè atq; iureconsultus definit. At si in disceptionem venerit, filij fratrum in successione patris, an in capita vel stirpes succedant, ita se res habet, vt vtrum responderis secundum naturam respondisse videaris. Neq; enim hic natura nec æquitate aut iniustitia, non honesti aut turpis delectu, affirmatio à negatione discernitur. At cum iure

D 3

receptum

receptum sit in capita succedere, incipit id æquum non natura, sed opinione, ut qui contra responderit, æquitati & iuri repugnare videatur. Si ergo ex virtute & vitio res, quæ est in quæstione, æstimatur, haud est sanè, quod philosophorum & iurisconsultorum magis scholas, quàm naturam exigamus. Sed si de eo, quod apud Ciceronem indifferens Cato vocat, quæstio est, in quo tota iurisprudencia occupata est, quod iure cautum est, id æquum & bonum est, non natura, sed autoritate ius condentis.

Et licet etiam concedamus ius nostrum in genera, numero & paucitate definita digeri, deinde in membra sua secari posse: non tamen continuò hoc consequitur, ut ars iuris civilis effecta dicatur, ita ut cognitis illis præceptis nihil amplius homini in illa versanti deesse possit. Est enim actiua hæc scientia, quæ tota in singularum rerum notitia continetur, nec vniuersalium tantum prudentia est. Nec sanè factu facile, ut is qui ad summa genera animum retulerit, rem de qua agitur ab infinita illa quæstione ad certam speciem possit adducere, quod quidem in rerum & causarum comparatione consistit, eaq; in eiusdem & diuersi similium & dissimilium cognitione versatur, qualia inter noscentem esse artificem oportet exercitissimum. Quod significauit Aristoteles lib. Ethico. v. dicens, cognoscere iusta atq; iniusta nullam sapientiam esse putant, propterea quod non est difficile, ea, de quibus leges dicunt, intelligere. At hæc non sunt ipsa iusta, nisi per accidens, sed tunc sunt iusta, cum quodam aguntur modo, & quodam distribuuntur modo. Id autem difficilius est, quàm quæ sanitatem efficiunt scire. Nam illic quoque mel & vinum & elleborum & vstionem & incisionem scire perfacile sanè est: sed quonam modo ad sanitatem efficiendam, & cui & quando sint  
tribu-



tribuenda, tanta est difficultas scire, quanta est medicum  
esse. Quem locum imitatus Ouidius lib. de ponto 3.  
dixit:

Non eadem ratio est sentire & demere morbos,  
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.

Ideo etiam notabiliter Iulius Paulus supremi nomi-  
nis & disciplinarum omnium thesaurus inquit: In qua-  
estionibus boni & æqui plerunque sub authoritate iuris  
scientiæ pernitosè erratur. Hinc Celsus pater, tot an-  
norum spaciis in iuris scientia consumptis, æquitatis fi-  
lium ita secutus: vt filius ipsius Celsus naturali æquitate  
motus contrarium responderit, eiusq; sententia locuple-  
tissimo Vlpiani testimonio verior sit.

Has tantæ difficultatis rationes animo intueri cum-  
primis utile & decorum est. Verùm quia huic meditatio-  
ni temporis angustia obsistit, adeoq; hæc res commodio-  
ris loci, & alterius temporis vberiore commentandi  
campum desiderat, superuacaneum est frustillatim ea de  
re orationem instituire: iam digito attigisse sufficiat.

#### L I C E N T I A.

Nunc ad vos doctissimos iuuenes, te ERNESTVM  
COTHMANNVM, & te WVOLFGANGVM  
HANEN, mea se vertat oratio: quoniam hætenus  
etiam omnia hæc diligenter considerantes, saluberrimis  
vos LL. præceptis subiecistis, & in tam arduis doctri-  
nis vigilem dedistis operam, atque à studiorum procursu  
ante non destitistis, quàm metam attingeretis, ne semper  
certando expectetis præmia, clarissimæ facultatis Iu-  
ridicæ huius almæ Vniuersitatis Antecessorum decreto ad  
iusti rigoris examen publicum & priuatum estis admissi,  
itaque omnibus probati, vt vna concordiq; sententia  
militari merueritis cingulo insigniri.

IV-

I V R E N T.

Ergo cum & deceat & necesse sit, vt iusta mercede vestrorum studiorum decursus reponatur, & simul iniuncti muneris me obligatione absolvam, clarissimiq; viri D. HENRICI CAMERARII I. V. D. facultatis nostræ Decani, & amici singularis precibus sit locus: Ego omnipotentis Dei numine inuocato ex commissione Reuerendissimi & Illustrissimi Principis ac Domini, Domini V D A L R I C I, Ducis Megapolensis, ac Principis vetustæ gentis Henetæ, Administratoris Ecclesiæ & Comitatus Suerinensis, Rostochij & Stargardiæ prouinciarum Domini, huius almæ Vniuersitatis Cancellarij dignissimi, principis ac domini nostri clementissimi, cuius in hac parte vicem gero: Te ERNESTVM COTHMANNVM Lemgouium, & te VVOLFGANGVM HANEN Halensem, vtriusq; iuris pontificij & Cæsarei Licentiatos creo & facio, concedens vobis, insignia Doctoralia, cæteraq; ad id pertinentia petendi facultatem, ad honorem omnipotentis Dei, Reipublicæ, ac vestrum & aliorum commodum & salutem, In nomine patris, filij, & spiritus sancti.

D I X I.

D E C A N V S.

**N**Vnc Scholæ consuetudo postulat, vt domini Licentiatum iam hoc gradu & titulo ornati de aliqua parte iuris nostri orationem habeant, qua & specimen ingenij & eruditionis suæ publicè edant & cætum scholasticum erudiant.

Tu igitur clarissime domine Licentiate ERNESTE orationem, qua ostendas, secundum ius scriptum iudicandum esse, proferto.

O R A -

O R A T I O  
L. ERNESTI COTHMAN,  
DE UTILITATE ET NECESSITATE  
IURIS SCRIPTI.

**Q**uam mihi graue sit & perdifficile, Magnifice D. Rector, Reuerendi, clariss. sapientissimi viri, Dñi. & præceptores perpetuò colendi, in hoc amplissimo & eruditissimo confesso verba facere, quæ tersis vestris auribus, & limato atq; acri vestro iudicio perplaceant, non tam rerum ignarus sum, ut non intelligam: Etsi enim fatear à dicendi studio animum meum nunquam abhoruisse, tamen cum meo me pede metior, quam mihi sit domi curta supellex facile intelligo, & ipsam eloquentiæ ubertatem, qua maximoperè mihi opus erat, in me planè desidero, ut potius eruditioribus & eloquentioribus hasce dicendi partes ultrò & sponte mea deferrem. Quid .n. nulla facundia præditum ad grauius & ornatè dicendi laude præcellentes viros verba facere iuuat? Quid longo rerum usu exercitatissimos balbutienti, & eloquendi actionem, quæ orationis anima esse creditur, exprimere non valenti auscultare utile est? Sunt hæc, fateor, magna, sed tamen cum intelligam, ex more huius Academiae recepto & inueterato, aliquid dicendum esse, faciam non inuitus, ut oratiuncula quadam huius Academiae consuetudinem confirmem & stabiliam. Quamuis verò confessus hic celeberrimus sit, non tantum eorum, qui in iuris arte excellunt, sed & illorum, qui in artibus humanioribus, qui in aliis facultatibus principem locum tenent, ut mea quidem sententia locus hic eiusmodi oratorem desideret, qui frequenti virorum horum literatissimorum conuentui accommodatum aliquod argumenti genus in medium adferat, tamen cum ex consuetudinis in hac Academia semper obseruatae vigore, Iuris utriusq; Candidatis materia Iuris explicanda sit, inueteratum illum Academiae consensum, viri Magnifici, pietate, eruditione, virtutibus præclarissimi, quin approbaturi, & me benignè audituri sitis minimè addubito.

E

Nota

Nota enim est mihi ea quæ in vobis extitit hactenus & etiamnum est humanitas, perspectus mihi est is in audiendis, ijs qui ante me ex hoc loco dixerunt, candor vester. Argumentum verò tractandum mihi sumam eiusmodi, quo ostendam, semper & ubiq; iure scripto & certo utendum esse, nec eos audiendos, qui æquitatis prætextu, manu regum, & arbitrio iudicantium omnia gubernanda esse clamitant.

Extiterunt singulis temporibus & etiamnum reperiuntur plurimi, qui legum vincula impatienter perferentes, variis modis, technis & machinationibus callidis, legum auctoritatem conuellere, eludere, & ex vita politica relegare studuerint. Sed animaduerti, duobus generibus eam hominum fecem includi posse: Vnum eorum est, qui sine alicuius rationis speciem aliquam veri habentis colore leges scriptas à Republ. exterminandas esse furore quodam vociferantur, uti de Caligula, qui de ICTIS quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus sæpè iactauit se effecturum, ne quid præter se, id est, præter id quod ipse constituisset, respondere possent, scriptum Suctonius reliquit. Cum his nulla mihi concertatio erit, quæ impudentiam & impietatem suam, ita nequeunt tegere, ut non eam omnibus paulò humanius institutis, & leges ciuiles ortum et principium DEVM ipsum habere intelligentibus prodant. Alij prætextus speciosi & pigmentis ac fucis illiti ratione lus ex iudicantium arbitrio & æquitate ipsa dicendum esse suadent & pronunciant, in super habitis & neglectis prorsus LL. scriptis. Quos ego ratione omni carere etsi vix affirmare ausim, sinceram tamen & bonam mentem in ijs desidero, & probitatem, quæ omnis sapientiæ caput esse putatur, in ijsdem requiro. Vident quidem & intelligunt rectè, ob factorum diuersorum diuersam qualitatem, personarum distinctarum distinctam differentiam, poenarum ac delictorum variorum varium discrimen, & deniq; casuum nouorum & subinde emergentium infinitatem, boni & æqui artem certis & perpetuò valituris legibus definiri & includi non posse, sed videre  
simul

Simul & animaduertere debebant, quod cum omnes articuli sigilla-  
 tim legibus comprehendendi non a queant, ita Ius constituendum esse,  
 ut ea, quae plerunq; b accidūt, comprehendat, ex quibus deinceps ad  
 similia c procedi, atq; ita recte ius dici posset. Neq; n. legum lato-  
 res eò imprudentiae prolapsos esse existimandum est, ut ob circum-  
 stantias & rationes ius immutari posse inficiarentur. Testis huius  
 rei locupletissimus est Iustinianus noster, qui ob circumstantias per-  
 sonarum, locorum, & temporum, ius immutauit, reformauit, in  
 recto boni & equi statu posuit, & si quid ambiguum visum fuerit, c d. l. non  
 vel nouum quid decisione noua indigens emerferit, hoc ad Impe-  
 riale culmen referri d voluit, ut non temere, sed auctoritate Augu-  
 sta leges conderentur & interpretationem acciperent. Prudens,  
 mehercle, prudentissimi principis consilium probe animaduerten-  
 tis & praescientis, maximam rerump: conturbationem, summam  
 ordinis politici & societatis humanae vastitatem orituram esse, si iu-  
 ris dicendi licentia in iudicantium & eorum qui rerum potiuntur  
 arbitrio posita esset, quibus plerunq; nulla humanitas nota est,  
 quibusue de iusticia nihil aut certe parum constat, qui sanguine &  
 carnibus humanis ventrem pascunt, sicut de Cyclope Polyphemo  
 Latinorum Poeta cecinit:

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,  
 Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro.

Dij talem terris auertite pestem, quae barbariem inuchit, ve-  
 ritati tenebras offundit, & obducit, tyrannidi viam aperit, vera  
 & diuinitus constituta iudicia in latrocinia conuertit, regnorum,  
 Imperiorum, & societatis Ciuilibus vincula dirumpit. Aegre fe-  
 rum isti Legum contemptores, cupiditates & libidines suas refre-  
 nari, quod imponi sibi à LL.latoribus iugum seruitutis minimè  
 ferendum opinentur, immemores aureae istius Ciceronis in oratione  
 pro Cluentio sententiae, qua Legum serui dicimur, ut liberi esse  
 possimus. Prudentius & rationi rectae multò conuenientius

E 2

optimi

a l. nō pos-  
sunt De le-  
gib.

b l. 3. cum  
seqq. d. t.

c d. l. non  
possunt.

d §. si qd  
aut consti-  
Iustin. q̄ in-  
cipit, Tan-  
ta, & Pan-  
dect. libris  
prefixa est.  
No. 133 §.  
si verò.

optimi Imp. Theodosius & Valentinianus, Dignam vocem maiestate, regnantis esse, Principem se LL. alligatum profiteri, rescripserunt. Itaque in omnem aeternitatem laudabitur memorandum Imp. Pertinacis factum, cui cum ex imperfecto & iniusto testamento, in quo ipse heres scriptus erat, hereditas delata esset, eam adire recusavit, hisce salutaribus & Imperatore pio dignissimis verbis annexis: Sanctius est inopem Remp. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia peruenire.

Ac licet vero verius sit, ipsum ius scriptum originem suam trahere ex natura & ratione ipsa, atque adeo hoc & omni tempore Ius ex rationis dictamine definiiri posse, utile tamen, imò pernecessarium est arte quadam illud quod recta ratio dictavit, & praemonstravit, complecti & comprehendere. Quamuis enim ratio, quod bonum & aequum est, utcumque prospicit, tamen communis & priuata omnium & singulorum vita exemplo est sufficientissimo, rationem perturbationibus vinci, & voluntatem recte ac iuste faciendi, innata illa & vix corrigenda naturae deprauatione à vero ad falsum deflectere, prudenter prouisa consilia non amplexare & sequi, sed in diuersa omnia abire, turpia pro honestis, perniciose pro salutaribus, iniusta pro iustis approbare & coniectari. Numerandi artem omnibus quodammodo insitam & ingentam esse ipsa experientia docemur, sed inde artem Arithmeticam generi humano inutilem esse nemo nisi rationis planè expers intulerit. Et cum ars illa aequi bonique iusticiam, quae constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi definitur, finem sibi propositum habeat, eam humano arbitrio, quo nihil est inconstantius & fugacius, minimè definiendam, sed certis a & praescriptis terminis, quoad eius fieri potest, concludendam esse consequens est.

a l. 2. De  
Iur. et fact.  
ignor.

b l. 2. De  
orig. Iur.

Romani omnium qui sub sole vixerunt populorum prudentissimi, sine lege certa b, sine iure scripto aliquoties vixerunt, & consuetudine potius quam lata lege uti maluerunt, sed postea longa experientia, longo rerum usu edocti, sine iure scripto commodum

viii

viri non posse, urbem Romam legibus fundarunt, à ciuitatibus c l. 4. De  
Græcis, quæ tunc temporis optimas & saluberrimas leges sibi con- Repub.  
stituisse credebantur, legum descriptionem expetentes. Præclare d l. 2. De  
igitur Philosophorum summus, Qui legem, inquit, dominari vult, Legib.  
is Deum & Leges præesse cupit, Qui autem hominis arbitrio vult e l. debitor  
regi ciuitatem, is beluam addit saeuissimam. Nec minus piè & s. seruo a-  
diuinè diuinus ille Plato c se videre interitum ei Reip. paratum di- lieno, De  
cebat, in qua non lex Principi & Magistratui, sed legi princeps & Leg. 2.  
Magistratus præset, Salutem verò illi, ubi lex seruiantibus Ma- f l. pen. Ad  
gistratibus dominaretur. Principi ergò princeps erit lex ipsa, exhibend.  
quæ omnium diuinarum & humanarum rerum regna dicitur, uti l. scire. De  
ex Chrysippo summæ Stoicæ sapientiæ philosopho Marcianus Iu- Legib.  
risconsultus refert. d g l. in om-

Nèq; verò quempiam recti iudicij hominem ab hac sententia nib. De R. I  
nostra æquitatis motum prætextu recessurum esse opinamur & cre- h l. 14. §. et  
dimus. Certum quidem est, æquitatis quàm stricti Iuris, h. e. calli- quid si test.  
dæ, superstitiosæ & calumniosæ e legum interpretationis potiore De relig. l.  
rationem habendam esse; Mens f enim non verba legis, Legisla- et si nih. De  
tor & conditor, non lex ipsa spectanda est, id quod tantum abest, R. I. cum  
ut inficiari velimus, ut contra in omnibus æquitati locum dandum similib.  
esse cum Paulo g, aliisq; Iurisconsultis h contendamus, imò Ius scri- i l. 1. De  
ptum artem boni & æqui i definiamus, & cum Iustinian. nostro le Iust. et Iur.  
ge ipsa nihil clementius, nihil æquius & iustius nihil excogitari k §. oport.  
posse k profiteamur. Ab hac sententia si quis vel latum unguem at. in auth.  
recesserit, & aliam præter eam, quæ per totum Ius ciuile & omnes De Iudicib.  
eius partes fusa est, æquitatem sibi finxerit, eum scedè labi asseuera- l l. si seru. §.  
mus. Nam ut sapienter Iurisconsult: Celsus l dicebat, in quæstio- seq. de V. O  
ne boni & æqui plerumq; sub auctoritate Iuris scientiæ perniciosè m l. prosp:  
erratur. Scripsit m egregius ille legum vertex Vlpian. n Legem, Qui & à  
si quod perquam durum est, sanciat, sequendam esse, non obscure quib. man.  
innuens de Iure respondere volentibus & controuersias decidere n l. 2. §. fin.  
cupientibus, tam sanctam esse debere legum auctoritatem, ut in ijs de excu. tu.

E 3

etiam §. fin. de æ-  
qual. dot.

etiam quæ prædura à legibus statuuntur, minimè recedant. Obij-  
citur nobis rescriptum Imperatorium, quo placuisse dicitur, in  
l. placuit omnibus æquitas, quàm stricti Iuris rationem præcipuam esse de-  
C. de Iudic. bere. Sunt qui Imp. de æquitate scripta rescripsisse, eamq; Iuri  
scripto præferre voluisse existiment, errore aperto & manifesto.  
Æquitas enim illud ipsum est, quod lex scripta prætermisit, ut rectè  
Aristoteles, æquitatem non ipsum scriptum, sed scripti moderatio-  
nem dixerit: Enimvero si æquitas scripta sit, Iuris scripti nomen  
necessariò assumet. Verius itaq; est, optimos Principes in ijs quæ  
palàm Iure scripto comprehensa & definita non sunt, æquitatem  
potius quàm strictum Ius Iudicem sequi debere, rescripto sanxisse.  
In ijs enim quæ lege expressa & cauta sunt, non scripti moderatio-  
nem, sed ipsum scriptum iudicantibus attendendum esse ex eo fit  
apertum, quod inter æquitatem & Ius interpositam interpreta-  
tionem solis Imp. & licere & oportere inspicere rescripto p  
l. l. C. de Imp. Constantini moneamur.  
LL.

Explicui breuibus quàm sit utile & necessarium in omnibus  
iudicijs, in omnibus controuersis decidendis & componendis scri-  
ptas & diuinitus q per ora Principum prolatas leges sequi & imi-  
q. c. fin. 16. ptas & diuinitus q per ora Principum prolatas leges sequi & imi-  
q. 3. tari, nunc quod superest, misericordem Deum omnium bonarum  
legum fontem & latorem toto pectore precor, ut is leges nostras  
auctoritate, æquitate & iusticia maximas ac sanctissimas in vita  
humana conseruet, omnium & eorum maximè qui Iudicijs præsent,  
& iusticiam administrant corda ita gubernet, ut boni & æqui no-  
titia cognita, æquum ab iniquo separent, licitum ab illicito di-  
scernant, bonos non solum metu pœnarum, verumetiam præmio-  
rum quoq; exhortatione efficere cupiant.

#### DECANVS.

Et tu clarissime domine Licentiate VVOLFGAN-  
GE, pro angustia temporis breuem orationem de legum  
& legalis scientiæ laudibus, recitabis.

ORA-



O R A T I O  
L. VVOLF GANGI HANEN,  
DE LAVDIBVS LEGVM ET LEGA-  
LIS SCIENTIÆ.

**S**I auditorum dignitas, Magnifice domine Rector, Reuerendi,  
Prudentissimi clarissimiq; viri, & vos adolescentes nobiles  
doctissimiq; & ornatissimi, si amplitudo, si aliud quicquam per-  
turbationis aliquid afferre & timorem incutere ad dicendum acce-  
dentibus potest: quod de Thirtano illo Oratore clarissimo apud A.  
Gellium legimus, cum media apud Athenienses concione verecun-  
dia deturbatum obticuisse: quod ipsum M. Tullium eloquentiæ pa-  
rentem & principem sæpius extimuisse ex orationum ipsis initijs  
satis perspicimus: quod alijs eloquentissimis olim viris, cum ad  
dicendum venissent, contigisse proditum est: quid mihi tandem ani-  
mi esse oportet, qui neq; comparandus cum illis omnino sum, neq; in  
hoc dicendi genere admodum sum exercitatus, & dicendum tamen  
mihi est in hoc augustissimo & sacratissimo loco, in splendidissimoq;  
illo vestro peritissimorum virorum consessu: quid mirum, si orsurus  
ego cohorream, & propè totus consterner? Sed dabitis, quæ est  
vestra singularis humanitas, mihi veniam & ignoscetis, quando-  
quidem nulla temeritatis confidentia, nulla præclare dicendi opi-  
nionis persuasio, sed recepta consuetudo, & spectabilis domini  
Decani iussus, atq; adeo necessitas, quibus omnibus refragari nec  
possum nec debeo, fecerint, ut has mihi dicendi partes sumere sim  
coactus. Adgrediar igitur ipsam rem, & breuiter dicam de legib.  
& legali scientia, eiusq; eminentia ac dignitate. De quibus sanè  
etsi sæpius ante hac, & in hoc ipso loco eruditè & plenè dictum  
sit, non incommodè tamen sed rectè in hoc frequenti multorum ad  
audiendam publicam testimonij nostri renunciationem conuentu,  
idem argumentum repeti posse videtur, cum nihil utilius sit, quàm  
subinde animis hominũ honorificam de legib. opinionem inculcare.  
Ad originem ergò legum legalisq; scientiæ, atq; adeo iuris nostri &  
attinet,

attinct, veteres νομοθέται quidem eam ad Deos immortales refe-  
rebant, & quo plus auctoritatis legibus suis adderent, Deorum o-  
raculis probatas asseuerabant. Vnde Minos fingebatur nouem an-  
norum spacio Iouis usus familiari consuetudine, & ab eo consti-  
tuendæ reipub. rationem didicisse. Lycurgum ferunt & ab Apol-  
line Deum appellatum esse, & sua edicta πῆγεας vocasse, quod o-  
racula videri vellet. Alij igitur Iouem, alij Apollinem, nonnulli  
Mercurium, atq; ita cæteri cæteros confinxerunt, ut cum diuino  
iudicio probatæ leges viderentur, homines eas pluris facerent,  
sanctius colerent, & diligentius custodirent. Porro fabulis istis  
& commentitijs oraculis neglectis, nemo est qui nesciat, Deum  
Opt. Max. ut omnis sapientiæ & scientiæ fontem, ita verum esse  
legum auctorem. Id quod sacræ literæ non obscure plurimis in  
locis testatum faciunt. Primus enim homo, ne arbore vetita ve-  
sceretur, legem accepit, qua violata, iuris seruato ordine exclusus  
pœnam sustinuit. Et Moysi Deum ipsum leges in duas tabulas  
sculptas tradidisse legimus, ex quibus tanquam fonte omnes iuris  
scripti riuuli promanarunt. Testis est locuples mirabilis illa  
& diuinarum & Romanarum nostrarum legum harmonia. Ut  
enim Exodi 20. diuinæ leges, sic Romanæ iubent Deum credere.  
l. 1. C. de summa trin. & fide cathol. non asumere nomen Domini  
in vanum. l. iurisiurandi 2. C. de reb. cred. & iureiur. Sabbathum  
sanctificare l. actus 8. l. dies festos C. de ferijs. Reuerentiam  
parentibus præstare l. parentes 6. ff. de in ius vocan. Neminem  
interficere l. 1. §. præterea ff. ad l. Corn. de Sicar. Adulterium  
vitare l. 1. C. de rapt. virgin. Furtum non committere l. ciuile.  
C. de furt. & seru. corrupt. l. si pignore §. species ff. de furtis.  
Et falsa testimonia perhibere l. 1. §. præterea ff. ad l. Corn. de Sicar.  
Quæ cum ita sint, atq; sic Deo opifice, Deo parente hoc opus, hanc  
prolem in lucem prodijisse constet, consequens est, quod tantæ illius  
fœturæ, cuius tam illustris est origo, non alius quam illustris, quàm  
admirabilis effectus reluceat. Quod etsi reipsa euidenter apparet,  
breuibus

Breuius tamen demonstrare non fuerit absurdum. Lex igitur & legalis scientia, ciuiliſq; ſapientia eſt ſacraſſima philoſophia, quæ nullo pretio nummario poteſt eſtimari: nihilq; tam ſtudioſum in rebus inuenitur, quàm legum auctoritas, quæ diuinas & humanas res diſponit, & omnem iniquitatem expellit, quæ non permittit aliquem in paupertate uiuere, nec in anxietate mori, & bonos efficit eos, qui diſcendo ei inuigilant. Lex enim ſtudioſum ſui grauem facit, purum, ſincerum, incorruptum, erectum, arduum & quadam æquitatis ueritatiſq; maiestate uenerandum. Imò legum legalisq; ſcientiæ beneficio ex priuatis primores, ex mediocribus primi, ex humilibus potentes, ex inopibus honeſtè diuites, ex nobilibus nobiliores, & quod omnia ſuperat, rerumpub. tutores, ſuppreſſorum patroni, ciuitatum oracula, regnorum columnæ, iuſtiæ aſſertores efficiuntur. Sine lege, Platone teſte, non ulla reſpub. ſed nec exiguus hominum coetus, ne parua quidem domus perdurat. Quod ſtamus, quod incedimus, quod uiuimus tuti, quod dominia rerum adſeruamus, id iuri totum legibusq; debemus. Legis igitur imperio humana coërcetur audacia, tuta redditur inter improbos innocentia, infeſta inimicorum iacula proteruntur, & ſicut à cæteris humanis diſciplinis ſalubritatem, ita à lege ipſam petimus, ipſam obtinemus ſalutem, ex qua una pendet, quicquid uitæ, quicquid concordie, quicquid ciuilitatis morum, honeſtatis, æquitatis, boni, & quicquid rei uſq; in uniuerſo exiſtit. Lex omnem uiuendi & rationem præſtat & doctrinam, ſuoq; dominantî imperio à teſtis noſtris, ab aris, à focis flammam, ferrum, rapinam, cædes amolitur & prohibet, mala omnia ſubuertit, innocentiamq; & fouet & tutatur. Nulla enim alia diſciplina humana tanta animaduerſione uitia pellit, crimina punit, turpitudinem fugat, efferatos animorum motus cohibet, quàm legalis ſcientia. O igitur admirandum legum ſplendorem, auget & omnibus honorum titulis prædicandam maiestatem. De fine legalis ſcientiæ breuiter quedam nunc ſunt addenda. Cum ergò, Cicerone teſte, cum cuiusq; diſciplinæ finem eſſe conſtet, ad quem

F

omniſq;

omnia referuntur, ipse ad neminem, legis certè finem perquirenti  
& inuestiganti non alius occurret, & sese offeret, quàm commune  
bonum, id est, salubris hominum concordia, tutaq; & tranquilla  
inter homines conuersatio. Ad hanc enim quàm maximè iuris no-  
stri tendit cognitio, ut non solum nos ipsi rectitudine quadam in-  
struamur, sed & proximo inseruire simus parati, ut honestè uiua-  
mus, ut neminem ledamus, ut suum cuiq; tribuamus, ad ciuium  
salutem, ciuitatum incolumitatem, hominumq; vitam beatam &  
quietam leges & earum cognitionem, ac omnia studia nostra diri-  
gamus. Quare cum talis & tanta legum legalisq; scientiæ atque  
adeo iuris nostri sit dignitas & eminentia, diuinus planè ortus, &  
saluberrimus fructus, magni profectò faciendæ sunt & ipsæ leges,  
diligenterq; custodiendæ, & ipsa scientia legalis magnopere am-  
plectenda & fouenda, nec illi, qui discendo ei inuigilant, sunt con-  
temnendi. Quod reliquum est Deum Opt. Max. auctorem & da-  
torem honestarum legum, conseruatoremq; politicæ societatis, oro,  
ut leges, quæ sunt via vitæ, regula veræ

Iusticiæ, & magni munera magna Dei,  
legalemq; doctrinam, quæ est rerum diuinarum atq; humanarum  
noticia, iusti atq; iniusti scientia, & omnes qui eam colunt & profi-  
tentur, ad nominis sui gloriam & humani generis salutem, in hac  
etiam alma Rostochiensium academia tueatur & conseruet. Et vo-  
bis, Magnifice D. Rector, Reuerendi, prudentissimi, clarissi-  
miq; viri, adolescentes nobiles & ornatissimi, gratias  
maximas ago, quod me non satis appositè fortassis  
dicentem audire non fueritis dedignati.

D I X I.

DECANVS DOCTORANDOS IN CA-  
THEDRAM VOCAT.

**P**eregimus cum dominis Licentiatis, quæ Academiæ  
nostræ statuta & consuetudines postulant. Quia au-  
tem

tem clarissimus vir, nobilitate generis, virtute & eruditione præstans CHRISTOPHORVS STVRZIVS, I. V. Licentiatus, qui iam pridem nobis in hac Academia, & extra illam etiam alijs in locis, specimen ingenij, doctrinæ, dexteritatis in docendo, & innocentiam morum egregium præbuit, summum gradum in iure à Collegio nostro petiit, & collegium nostrum hanc dignitatem & illi & clarissimo domino Licentiato ERNESTO COTHMAN, propter singularem eruditionem & modestiam vnanimi omnium collegarum consensu decreuit, idcirco vtrumq; in hanc cathedram ad præstandum iuramentum vsitatum & peragenda reliqua quæ huc spectant, voco.

*Doctorandi iuramentum præstiterunt, & aurum & argentum Academiae ministro, prout moris est, dederunt, atque id Academiae minister solempni acclamatione & gratulatione, publice ostendit.*

P R O M O T I O      D O C T O -  
R   V   M.

Quod igitur felix & faustum sit, ac Ecclesiae Dei & Reipub. salutare, auctoritate publica, qua in praesentia fungor, communi collegij nostri iuridici nomine, te dominum CHRISTOPHORVM STVRZIVM Liouonum, & te dominum ERNESTVM COTHMAN Lemgouium, Doctores Vtriusq; Iuris tam ciuili quam canonici creo & promoueo, & vos honestissimo gradu Doctorum ornatos esse de sententia & iudicio totius collegij nostri publice renuncio, in nomine omnipotentis Dei patris, filij & Spiritus sancti, quem toto pectore & ardentibus votis inuoco, vt vos & vestra studia & actiones clementer regat, feliciter prouehat & benigne fortunet.

F 2

RITVS

RITVS IN PROMOTIONE DOCTORVM  
A DECANO VSVRPATI.

Addidit sapiens antiquitas huiusmodi renunciationi testimoniorum publicæ ritus certos in oculos incurrentes, non vt sint inepti ludi scenici aut theatri, nec tantum vt renunciationem reddant conspectiorem & dignitatem ordinis Doctorum & reuerentiam auditorum erga docentes augeant, verumetiam vt sint signa vocationis eorum, quibus publicum docendi, disputandi & de iure respondendi munus commendatur, propterea in his ritibus nos quoq; morem vsitatum seruabimus.

C A T H E D R A

Ac primùm vobis in hanc honestissimam cathedram collocatis ius ac potestatem docendi, disputandi, enarrandi atq; explicandi Ius ciuile & canonicum tribuo.

L I B E R A P E R T V S E T  
C L A V S V S.

Deinde trado vobis & aperio hosce libros, vt doceam, perpetuo studio & lectione ad salutarem Iurisprudentiæ tractationem opus esse. Claudio verò etiam eosdem libros, vt moneanimi, doctrinam in libris nostris typis expressam, non tantum in chartis legendam, verumetiam memoriæ infigendam esse. Tantum enim scimus, quantum memoria tenemus, & vbi res atq; vsus postulat, promptum & expeditum habemus.

P I L E V S.

Pileum quoq; capitibus vestris impono, vetus docentium insigne, quo sapientes principes hunc ordinem à reliquis ordinibus & præcipuè à plebeculæ multitudine distinctum esse voluerunt,

ANNV.



ipsis à pueris proponentur, respondeant, eaq; re eruditionem suam publicè probent.

Tu igitur clarissime domine Doctor CHRISTOPHORE STVRTZI, ad quæstionem, quam tibi puer proponet, vtrum delicta per ignorantiam commissa sint punienda, respondebis.

QVÆSTIO nobili ac clariss. domino Doctori  
CHRISTOPHORO STVRTZIO,  
ab Ambrosio Dassouio proposita:

An & quatenus delicta ignoranter contracta  
pœnam mereantur.

**Q**uoniam more in hac inclyta schola receptum est, ut nouæ dignitatis titulo ornati, quæstioni propositæ respondeant, eamq; breuiter & concinnè dissoluant: haud molestum tibi videri debet, si quid argumenti proposuero, quod & legum fundamentis, et iurisprudendum auctoritate probandum erit. Ait IC. in l. 1. ff. de legib. inter alias eius proprietates, legem esse coërcitionem delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur: Ex quibus verbis perspicitur, quòd delicta etiam ignoranter commissa coerceri, h. e. puniri debeant. Atq; alibi legitur, quod ignorans non delinquat, nec ignorantia puniatur. Quapropter non immeritò in dubium vocatur, quomodo sententia Papiniani intelligenda sit, & procedere debeat. Peto ergò abs te nobilis ac clarissime domine Doctor CHRISTOPHORE STVRTZI, ut paucis nobis definias, an, & quatenus delicta ignoranter contracta, pœnam mereantur.

Responsio

D. CHRISTOPHORI STVRTZII.

**M**agnifice domine Rector, Reuerendissimi, prudentissimi atque consultissimi viri, iuuenes ornatissimi, quod excelsi ingenij iurisconsultus Papinianus legem definit, inter ceteras eius qualitates esse delictorum, quæ sponte vel ignorantia



rantia contrahuntur, coërcitionem, non absq; maxima ratione,  
quantum ego quidem existimare possum, factum est, Quid enim u-  
tilitatis afferrent communia doctissimorū hominum præcepta? quid  
prudentum virorum consulta? frustra meherclè & illi docerent ho-  
nesta, & hi consulerent utilia, si non æqua iustitiæ ratio in decer-  
nendis pœnis atq; præmiis dandis obseruaretur. Proinde q; Solon  
duabus rebus, præmio nempe & pœna Remp. contineri, sapientis-  
simè dixit: pulchre mediusequius idipsum Ictus noster subiicit, dum  
ait: legem esse communem Reipub. sponsonem, quasi diceret, hæc  
vis atq; maiestas legi inest, ut virtuti honorem & præmia, at verò  
iniquitati pœnam & omnia tristia spondeat atq; polliceatur. Ele-  
gans profectò & utilis apud Philosophos nostræ artis studiosos au-  
tores de ἐκαστοῖς καὶ ἀναστοῖς factis extat disputatio, quam plenè  
induxisse necessarium quidem esset: sed temporis angustia nos pro-  
hibet, & aures doctissimorum hominum quibus hæc iam antè nota  
sunt, non patiuntur. Quapropter legum textibus rem propositam  
definiemus. Verum est, mi suavisime adolescens, quod in libris  
iuris passim hæc sententia legatur, Ignorantiam non puniri, Igno-  
rantem non delinquere, Prioris namq; sententiæ autor est Vlpia-  
nus Ictus in l. genero ff. de his qui not. infā. Alteram sententiam  
post Scaeuolam in l. fin. de decret. ab ordin. ac tenet Modestinus in  
l. si ignoras ff. locati, & Vlpianus in l. id quod §. doli ff. de iu-  
risd. omnium iudicum. Nec desunt hac ipsa de re constitutiones  
Imperatorum l. inuasor. C. unde vi. neq; iuris Canonici testimonia  
c. 3. de cogn. spir. lib. 6. Ex quibus summatim cumulatis dicen-  
dum esse videtur, quòd nec satis aptè Papinianus iuris nostri  
asylum legem definierit, coërcitionem delictorum quæ spontè vel  
ignorantia contrahuntur, nec pro allegatarum legum dispositio-  
ne, delicta ignoranter contracta pœnam mereantur. Cæterum  
si iuris fontes interius spectauerimus, veram esse Papiniani  
sententiam, quam pro lege hic afferro, multi alij Iurisconsulti  
simul attestantur, nempe delictum ignorantia contractum puniri  
debere.

debere. Ita hoc decidit Iurisconsultus Paulus in l. eum qui §. quod si scisset ff. de iniurijs, itemq; Martianus, dum ait in l. fin. ff. De publican. Licet quis se interrogasse dicat, nihilominus eum in pœnam vectigalis incidere: facit lex scientiam. §. pen. Ad l. Aquil. Nec minima est difficultas quæ in diuersis textib. l. Iulianus De act. emp. & l. sed addes ff. Locati proponitur. Quoniam verò Imp. noster Iustin. in epistola ad Tribonianum illustrem virum scripta, & ff. præfixa, iure constitutionis commemoret, nullam in omnibus membris iuris antonomiam esse debere, sed unam concordiam, unam consequentiam, aduersario nemine constituto: operæ precium facturi videmur, si eam rationem distinctionis inuenerimus, qua & Papiniani sententia tuta & altera minimè contraria esse videatur. Sed conciliandi leges ratio, quæ ex ipsis legum verbis depromitur, omnium certissima atq; tutissima esse solet. Aduoco ergò utriusq; partis Iurisconsultos & his mediatorem seu totius contrarietatis conciliatorem statuo IC. Paulum in l. regula. de iur. & fact. ignorant. & post eum Interpp. nostros usu & scientia rerum prudentiss. homines: Regula, ait Paulus, est ignorantiam quidem iuris cuiq; nocere, facti verò ignorantiam non nocere. Sed ex his quæ subijcit intelligere licet Paulum artificem fuisse, qui iuris dogmata ex arte prudenter proponit: namq; lex veritatis postulat, ut tum demum res certa regula definita esse videatur, si omnia illa, quæ ei homogenea sunt, simul comprehensa fuerint. Itaq; adiecta exceptione IC. regulæ propositæ veritatem ostendit. Omnibus ex equo iuris ignorantia in pœnam imputari potest, præterquam ut ætatis sexusq; infirmitatis ratio habeatur. Etsi igitur leges sacratissimas, quæ vitam hominum præceptis honestatis ligant & constringunt, omnes scire debeant, atq; ita quidem, ut si quis per semetipsum eas non nouerit, & per alios explorare potuerit, minimè gentium id negligat: tamen quemadmodum in alijs iuris partibus, ita & hic benigna interpretatione multum de apicib. iuris remittitur. In quibus ergò nihil horum, quæ singularem iuris fauorem mereri possent

possent reperitur: tunc si ea quæ iure legibusq; sancita atq; disposita sunt ignorentur, neuti-quam excusationi locus erit. Namq; lata culpa est & dolo proximum, illud ignorare, quod omnes intelligunt vel intelligere debent, l. cedere diem l. lata ff. de verb. signi: maxime, quia ius finitum & possit & esse debeat, quemadmodum id IC. Neratius in l. in omni parte ff. de iuris & facti ignor. declarat, atq; hæc de iuris ignorantia breuiter dixisse sufficiat. Facti autem interpretatio, quia sepe etiam prudentissimos fallit, excusationem à pœna præstare videtur: sed ne rursus dubium aliquod obuuiat, aduertendum est, nos hic de ignorat. facti alieni differere: facti autem proprii haud tolerabilis videtur esse ignorantia: vix enim ferendum est, ut quis tam inconsideratus sit, tam parum de se cogitans, ut id quod agat, ignoret, & actum perfectum suapte contrarietate dissoluat. Sed dum hæc commemoro tempestiuè in memoriam venit l. sed etsi me putem ff. de condict. indeb. & l. si tibi liberum ff. de act. emp. nam utrobique casus extant, in quibus ignorantia facti proprii toleratur.

Etsi verò communiter à Bartolo & sequacibus hæc solutio datur, id tum demum rectè dici, si de damno vitando, non etiam si de lucro quærendo certetur: tamen cum in l. quanquam ff. ad senatus consultum Velleianum: casus proponatur, in quo de damno vitando agitur, & tamen ignorantia proprii facti non excuset, aliud nobis & firmitus dissoluendæ huius *ἀνυποπίος* argumentum quærendum est. Quia verò spacium hac de re cogitandi valdè exiguum & breue nobis datum est; id quod ex Dyno notatum memini, paucis referam: ubi allego, inquit ille, ignorantiam proprii facti in iniuriam alterius hoc est, illius cui promiseram & ex promissione mea obligatus eram, error proprii facti non excusat, licet contendam de damno vitando d. l. quanquam: sed ubi non est quid factum in iniuriam alterius, sed volens mihi subueniri aduersus damnum quod incurri per ignorantiam, facti proprii excusat & toleratur.

G

leratur.

teratur Dynus c. ignorantia de reg. iur. in 6. & ita loquuntur pro ipsius opinione dicta l. sed etsi putem & d. l. si mihi liberum.

Verum enimvero ut prioris decisionis de ignorantia iuris sua constet certa q; ratio, sic statuendum est: qui committit delictum iure diuino & gentium prohibitum, ille nequicquam allegando ignorantiam excusatur. Bartolus in l. venia. C. de in ius voc. §. 1. institut. De obligat. quæ ex quasi com. l. ex maleficio §. 2. ff. de action. & obligat. quia supina hæc & minimè toleranda est ignorantia, si quis id quod ratio præscribit, quod natura dicit, quod communis hominum obseruantia inculcat se nescire dicat: nec verò consuetudo longa & multitudo peccantium ullam præstat delicto veniam, quin quemque poena merita consequatur. Huc accedit elegans Augustini dictum in c. flagitia, 32. q. 7. relatum, flagitia quæ sunt contra naturam ubique & semper repudianda atq; punienda sunt: Nec quicquam igitur venia ijs danda est, qui seueritatem edicti se ignorare prætendunt, ait I. C. Callistratus in l. diuus. ff. Ad leg. Cornel. de fals. Cæterum in alijs delictis, quæ contra iuris positiui dispositionem committuntur, maximè si dolus abest, ignorantia excusat, ut puta in his, quæ sunt per statutum prohibita: itemq; in delictis illis quæ ante nouarum constitutionum publicationem committuntur, & in hoc casu loquitur d. l. fin. ff. de decret. ab ord. fac. Ut summatim multa complectar, recte dici potest, quod delicta ignoranter contracta coerceantur, siue ad ius siue ad factum respicias, si qua suspicio doli vel affectata ignorantia arguatur: namq; scientia & affectata ignorantia æquipollent, glos. eleg. in c. cos qui. De tempor. ordinat. in 6. & text. sing. in l. qui contra C. de inces. nupt. Non obstant leges in contrariam relatæ, quia omnes ferè ibidem recitate species, aut ad eam ignorantiam referri possunt, quæ in facto alieno, non quæ in iure consistit: Aut verò magis culpanda venit imperitia artificis, quàm cuiusquam alterius, & sic argumentum patet conciliandi l. sed addes ff. locati, cum l. Iulianus ff. de action. empt.

Nec

Nec enim putatur quis aliquid scire, nisi habeat plenam rei seu  
actus scientiam cum omnibus circumstantijs exploratam: glos. no-  
tab. in c. concertationis, in verbo, sicuti De appell. in 6. Verè  
enim nescit, qui causam actus ignorat, l. pupillus ff. De acquir.  
her. Habes igitur suavissime adolescens breuiter expositum, quod  
delicta etiam ignorantia contrahantur, & proinde coerceri debe-  
ant: Nec enim prudentis est dicere non putaram, aut quod igno-  
rat, asseuerare, tantum abest ut is, in quo culpa vel dolus argui-  
tur, poenae reus esse non videatur. Quapropter hæc nobis regula  
animo infixata maneat: Non debemus aliquid agere, cuius non possi-  
mus causam probabilem reddere, ne nobis temeritatis & stultitiæ  
nota cum periculo nostro inuratur argumento l. Iulianus §. quid  
tamen ff. de act. empti.

DECANVS.

Tu quoq; clarissime domine Doctor ERNESTE  
COTHMAN, quid tibi puer propositurus sit, audies  
& ad ipsum, breuiter & dilucidè respondebis.

QVÆSTIO clariss. & doctiss. domino Doctori  
ERNESTO COTHMAN,  
à Dauide Chytræo, M. Nathanis  
filio, proposita;

An uti possidetis interdictum deiecto competat.

**L**Audabilia esse illa, quæ vetus & quasi per manus tradita  
consuetudo comprobat, neminem esse ex doctissimo hoc colle-  
gio qui ignoret vel addubitet planè mihi persuasum habeo, atque  
ideo rationem huius mei instituti, cur ego adolescens in doctissimo-  
rum virorum confesso verba facere non erubescam, exponere su-  
peruacuum esse opinor. Questionem igitur pro more Academiæ  
huius laudatissimo in medium adfero; An Deiecto Interdictum uti  
possidetis competat? Mouet me, in sententiam affirmatiuam ut in-  
clinem communis & omnium Iuris Interpp. suffragio ac applausu  
rece-

recepta sententia & auctoritas, quæ apud iuuenes præsertim & longo rerum usu necdum exercitatos plurimum valere debet, ut interim de rationibus & Iuris textib., quibus non obscure ostenditur, ei qui vi deijcitur, Interdictum, de quo quæritur, denegandum non esse, dicam nihil. Rursus in contrariam eamque negatiuam sententiam plurimorum Ictorum responsa, quibus deiecto possessionem omnem ablatam esse arguitur, atq; adeo Interdictum unde vi, quod restitutorium est, non autem Interdictum prohibitorium ei dandum esse respondetur, vocant me & trahunt, ita ut dubius & incertus de quæstione proposita certi quicq; definire nequeam. Ergo disputationem hanc ad te clarissime D. Doctor ERNESTE COTHMAN, qui iuberis ex huius Academiae consuetudine quæstionem aliquam decidere, refero, eamq; ut ex Legum fontibus, rationibus & Ictorum monumentis decidas ac definias, peramanter peto.

D. ERNESTE COTHMAN  
ad quæstionem propositam, breuis &  
dilucida responsio.

a in recept.  
sentent. de  
interdict.

**Q**uæritur an deiecto, & quemadmodum Paulus a explicat, ei, qui oppressu multitudinis, aut fustium, telorum, armorum metu terretur, vel in prædio vincetus detinetur, vel violentiæ opinione comparata, possessione cedit, contra deijcientem Interdictum uti possidetis competat? Quæstionis huius rectè decidende ratio in eo consistit, utrum quia Interdictum uti possidetis possessorem tuetur, & vim fieri vetat, atq; ideo semper & ubiq; prohibitorium, nunquam verò restitutorium Interdictum appellatur, deiectus omnino possidere desinat, eo, qui deiecit, omnimodam possessionem consequente. Possessionem rei corporalis cum animo seu adfectione possidendi detentionem definiri, atq; ea definitione & naturalem & ciuilem possessionem comprehendendi, apud omnes in consesso est: Animo enim & corpore simul, neq; per se animo, neq; De acquir. per se corpore possessionem; adquiri indistinctè responsum c legimus.

b l. i. uti  
possidet.

c l. 3. in pr.  
De acquir.  
poss.

mus.

mus. Atq; inde Labeo nosler, qui omnium optimè origines, rationes, & definitiones à verborum percallebat, possessionem à sedibus quasi sessionem atq; stationem appellatam esse sine distinctione scriptum e reliquit. Neq; ꝑ alia mente acutissimus, maximus & sublimissimus ꝑ vir Papinianus, qui vt singulos vincit, ita cedit & duobus, possessionem ciuilem detentionem & usum rei dixit, quàm quod ea quoq; corpore siue corporali apprehensione constaret. Quibus probè consideratis firmiter statuendum est cum Labrone h nostro, eiusdem rei possessores duos in solidum esse non posse, in tantum, vt neq; alter ciuilitè & iustè, alter naturaliter & iniustè possidere possit. Ex qua Labeonis sententia possessionem, vnde quis vi deiectus est, simul ab utroq; tam à deiciente quàm à deiecto possideri non posse, sed huic possessionem omnem ablatam penes illum residere rectè concludemus, donec deiectus per Interdictum vnde vi eam à deiciente recuperet. Qua ratione perinde haberi i dicitur ac si possideret, quod cum certus sit de possessione recuperanda, perinde habeatur, ac si eam recuperasset. Neq; hic loquendi modus nostris inusitatus est, cum ꝑ alibi eum, qui actionem ad rem recuperandam habet, ipsam rem habere notatum sit, quamuis rei veritate inspecta, minus sit actionem habere, quam ꝑ rem.

Non moueor Pomponij m, tam eum qui precario concessit, quàm eum qui precario accepit, possidere asseuerantis, responso. Certum enim est ex plerisq; Iuris ciuilibus locis, diuersas Ictorum sectas n extitisse. Alij enim fuerunt Sabiniani, quorum princeps Ateius Capito laudatur; Alij Proculiani, qui ducem & auctorem Labeonem nostrum sequuntur. Hi omnes circa Iuris questiones difficiliore rationibus, vti fit in rebus dubijs & intricatis, inuicem certabant, nec quod alteris placebat, alteri è vestigio approbabant, sed hi in sententias illorum Iuris rationibus inquirebant, prudentius & laudabilius multò, mea equidem sententia, quàm nunc fit, vbi si in sententiam nostram adserendam Doctoris ali-

G 3

d l. sapè, l. malum, ꝑ. ostentum, l. instrato. l. inter. De V.S. l. 1. de dol. mal. Gell. lib. 13. cap. 10. e l. 1. De adquir. poss. ꝑ l. deniq; Ex qb. cau. maior. & c. ꝑ in proce; D.S. & hos tres. g Cod. Theod. li. 1. t. 3. h d. l. 3. §. ex contrario. i l. si quis. De acquir. possess. k l. qui act. De R. I. l l. Minus est, d. t. m l. & habet. §. eū qui De precar. n l. 2. cir. fin. De ori. Iur.

cuius excellentis auctoritatem adferre possumus, de ratione iuris  
 non admodum sumus solliciti. Sed ad rem; Sabinus & huius asse-  
 clæ à Labeone & ipsius discipulis sæpius disenserunt, Sabinia-  
 ni precium quod de emptionis substantia & natura est, in alia  
 re quam pecunia numerata consistere posse opinabantur, Procu-  
 lianus aliud & rectius iudicium erat, Quorum sententiam Imp-  
 noster Justin. probavit, non quod illa communis, vel communior  
 esset, non quod pluribus auctoritatibus comprobaretur, sed  
 quod, Imp. ipso causam dicente, validioribus rationibus Proculiani  
 argumentarentur. Illi quæ fines mandati excedentem, ne quidem in  
 id quod mandato expressum erat, actionem concedebant; Hi in id  
 quod mandato iussum & cautum erat actionem nasci iudicabant,  
 utriusque scholæ auctores magnis & grauib. rationibus certabant,  
 sed Proculianorum sententia recepta est, quod illa benignitate  
 præstaret; Sabiniani denique, ut ad id quod volumus & in quo ex-  
 plicando elaboramus, deueniatur, duos eiusdem rei possessores in  
 solidum admittebant; Quod iudicium Sabinianorum crassius &  
 obtusius paulò, ita Trebatius Labeonis præceptor verbis tempe-  
 contrario, rabat, ut duos quidem naturaliter vel ciuilitè possidere posse ne-  
 garet, alterum tamen ciuilem, alterum naturalem sibi possessio-  
 nem defendere posse contenderet. Hinc, verbi gratia, non tantum  
 eum qui precario acceperat, sed & eum qui precario concesserat  
 possidere Trebatius Sabino consentiens docebat. Verum Labeo-  
 ni nostro subtilius & maturius fuit iudicium; Arbitrabatur  
 namque parum aut nihil referre siue uterque ciuilitè, siue natu-  
 raliter uterque, siue alter ciuilitè, alter naturaliter possidere  
 diceretur: Cum enim utraque & naturalis & ciuilis possessio,  
 tam corpore quam animo adquiratur, ut ab uno possessionem  
 quesitam alter consequi non possit, ipsa ratio dicitur & conclu-  
 dit. Contra naturam quippe est, ut quo ego loco sto vel sedeo,  
 tu stare vel sedere possis. Quæ Labeonis sententia certissimis  
 demonstrationibus & rationibus constans à Paulo viro prudentissi-  
 mo,

o l. 1. De  
contr. emp.

p §. item  
preciū In-  
stit. d. t.

q l. 3. Man-  
dati.

r d. l. 3.

s l. 4. d. t. §.  
is qui ex-  
quit. Instit.

Eod.  
d. l. 2. §. ex  
contrario,  
De adquir.  
poss.

t d. §. ex  
cōtrario.



mo, u & quæstionis nostræ iudice acutissimo probatur, ut dicerenon sit vero absolum in dicto responso Pomponij, quod sententia nostræ negatiuæ contraueniens habitum est, Sabini sententiam proponi, quod & inscriptio responsi, quæ ad Sabinum est, luculenter euincit, ut interim taceam in eo responso idem illud exemplum, quo Sabinus in sententia sua declaranda utebatur, referri.

Dices ex communi DD. opinione, quam consultissimus Menoch. rationibus pluribus comprobatur & confirmatur, Deiectum possessione naturali priuatum esse, eam tamen quæ ciuilibus est, & quam animo secum circumfert, retinere. Dicam possessionem ciuilem nequaquam eam, quæ animo retineatur definiendam esse: Cur enim quaeso adfectum possidere uolentis ad possessionem retinendam nihil facere à Iurisconsulto x responsum est? Cur is qui in prædio uinctus detinetur, animo possessionem retinere y negatur? Quinimò dato uel concesso eo (erit hæc suppositio uerius, quam propositio) possessionem ciuilem eam esse, quam quis animo secum circumferat, nihilominus tamen deiectam ea quoque possessione spoliari is animaduertet, qui Iurisconsulti z uerba, quibus deiectionem deiecto possessionem quam animo retinebat, etsi corpore fundo aberat ademisse docet, fideliter inspexerit & intellexerit. Atq; hinc, ni fallor, fit, quod Iurisconsultus a possessionis amissionem, quæ per deiectionem contingit ei, quam quis libera uoluntate dimittit, comparet, neque id in alijs Iuris nostri partibus infrequens & nouum est, ut coacta uoluntas utiq; pro uoluntate sit. Deiectus ergò etsi maxime aliquam alicuius possessionis retentionem animo sibi fingat, reuera tamen possessionem sibi ereptam, atque adeò ex animo ipso euulsam esse intelligit, cum coactus sua uoluntate, ut Comicus loquitur, possessione discesserit. Quò fit ut conditione, qua dari nobis petimus, possessionem b repetat; Et eleganter profectò Gaius c Iurisconsultus, naturaliter & re ipsa possessionem interrumpi, cum quis de

u in Proce.  
D.S. sed qd.

In tract. de  
ret. poss. re  
med. 3. nu.  
22. & n. 35.  
cum seqq.

x l. arbor.  
§. de illo,  
De usufr.  
y l. 1. §. pe.  
De ui et ui  
arm.

z l. 1. §. siue  
aut §. deij-  
citur enim  
unde ui &  
de ui arm.

a l. 3. §. q. si  
De adquir.  
posses.

b l. 2. De  
cōd. tritic.

c l. natura-  
liter De u-  
surpat. &  
usucap.

possessione deicitur, respondit, per possessionem eam, que civilis  
 f l. sine pos- est, queq; sola e ad usucapionem sufficit, intelligens. Possessio-  
 sessioe, d. t. nem iccirco, ex qua quis deicitur, vacuum ut deiciens consequatur,  
 si eam animo sibi habendi ingressus sit, consequens est iuridicum  
 & necessarium. Que etiam consequentia ex eo ostenditur, quod In-  
 g l. ult. De terdictum uti possidetis, quod solis possessoribus datur, deicienti  
 adquir. pos. aduersus quoslibet turbare volentes g competat. Ex his ita in  
 l. 1. & 2. v. partem utramq; disputatis relinquatur, questionem propositam ne-  
 ti possid. gatiue iurisprudencia propitia decidendam esse, opinione contra-  
 h l. 2. De ria, que inuita iurisprudencia a plurimis recepta & tradita est, ex-  
 veter. Iur. plosa, maxime cum Imp. noster unius Icti sententiam verioreni  
 enucl. pluribus congruentibus opinionibus anteferri summa cum ratione h  
 i c. secundu voluerit, & non tam quis aut quot dicant, sed quid & qua ratio-  
 19. dist. c. ne dicatur ponderandum esse Anastasius Papa i rescripserit.  
 ego ibi glos  
 s. distinct.

D E C A N V S.

Superest vltimum, quo huic actui finis imponetur.  
 Id est gratiarum actio, quam tu clarissime domine Licen-  
 tiate VVOLFANGE non grauatim habebis.

GRATIARVM ACTIO

à

L. VVOLFANGO HANEN

post actum promotionis recitata.

**C**VM honestissime, & DEO ac hominibus maxime proba-  
 te gratias agendi partes, in hoc confesſu eruditorum, mihi  
 à spectabili D. Decano mandate essent: etsi sciebam me vix  
 esse ad dicendum, presertim in hac frequentia, satis idoneum, re-  
 uerenter tamen & iussui D. Decani, & legibus huius scholæ pa-  
 rendum esse existimaui. Maior enim obedientie & officij, quam  
 ingenij & eloquentie laus esse videtur: nec vllum in vita officium  
 referenda gratia magis necessarium, magisq; cuius conueniens esse  
 iudicandum est.

Princi-

Principio igitur tibi omnipotenti, aeterno & vero Deo, Patri, Filio & Spiritui sancto, conditori & conseruatori Ecclesiae, angelorum, & hominum, maximas, quas mens nostra concipere potest, gratias toto pectore agimus, pro omnibus huius vitae bonis, & summis istis, quibus cumulate quotidie nos afficis, beneficijs, quod honestas politias, quod pacem publicam, quod studia literarum, quod mediocrem valetudinem, vigoremq; ingenij ac sensuum, & alia infinita dona nobis tribuis: Et ardentibus votis à te supplices precamur, ut deinceps etiam nos docere, seruare, & gubernare, & huius academiae Rector, Ecclesiae Episcopus, ac reipub. Consul supremus perpetuo manere non dedigneris.

Deinde illustrissimis Principibus & Dominis, Ducibus Me-  
gapolensibus, dominis nostris clementissimis, & academiae nostrae nutritijs: Et Prudentissimo huius urbis Senatui gratiam nos eximiam debere confiteor, quod sua pietate & munificentia doctrinarum studia in hac urbe conseruant, & magno sumptu viros ad docendum idoneos in omnibus artibus benigne fouent.

Inprimis illustrissimo Principi & Domino, D. VDAL-  
RICO, Episcopo Suerinensi &c. academiae huius Cancellario, gratias agimus, quod potestatem accipiendi gradum & insignia Doctorum & Licentiati, nobis per clarissimum consultissimumq; virum D. MICHAELEM GRASSVM I. V. Doctorem & Professore benigne concessit, & honori nostro, omniumq; eruditorum, & ecclesijs ac scholis seruentium dignitati se clementer fauere ostendit. Cuius beneficij ab illustrissima Celsitudine ipsius nobis praestiti memoriam perpetuo conseruabimus.

Reuerenter etiam gratias agimus Magnifico D. Rectori,  
& spectabili Domino collegij Doctorum Iuris Decano: nec non reuerendis, prudentissimis ac clarissimis viris D. Doctoribus &  
H Consul-

Consulibus, Licentiatis & Senatoribus, Magistris, Professoribus,  
Ministris ecclesie, hospitibus omnibus, ac ceteris honestis & stu-  
diosis iuuenibus, qui nostri honoris causa ad hanc renun-  
tiationem testimonij publicam conuenerunt. Et  
singulis vicissim nostra studia & officia  
omnia reuerenter deferimus.

D I X I.

GRATIARVM ACTIO PRO DECANO  
in Promotionis conuiuio, cui ob luctum interesse  
non potuit, à clarissimo viro, domino B A R-  
THOLOMÆO CLINGIO I. V. Docto-  
re & professore habita.

**M**agnifice domine Rector, clarissimi, prudentissi-  
mi, doctissimiq; viri, patroni, collegæ & amici  
summa obseruantia colendi. Clarissimus vir dominus  
HENRICVS CAMERARIVS I. V. D. & Iuridicæ  
facultatis in hac alma Academia Decanus, qui luctus  
causa huic conuiuio præsens, quod quidem optaremus,  
interesse, & reliquas muneris sui partes obire nequit, qua-  
propter se excusatum esse rogat, vnà cum clarissimis  
viris, quibus hodiernus dies, ob consecutos novos hono-  
ris & dignitatis titulos, solemniter est, adeoq; totum colle-  
gium facultatis Iuridicæ imprimis Deo ter optimo maxi-  
mo quantas possunt maximas gratias agunt, quòd Aca-  
demiã & rempub. inde à multis annis inter varias re-  
rum conuersiones mediocriter florentem conseruauit,  
fecitq; vt subinde in Academia aliqui adolescentes ita  
moribus & in doctrinarum studiis profecerint, vt Eccle-  
siæ, reipub. & scholis in partibus ipsis demandandis vri-  
les &

les & idonei iudicati sint, utq; idem Deus deinceps Ecclesiam nostram, Academiam & Rempub. singulaq; earum membra tueatur, maximopere precamur. Deinde vestrae quoq; Magnificentiae, vobisq; clarissimis prudentissimisq; viris omnibus & singulis officiosè gratias agunt, relaturi, quandocunq; se offeret occasio, quòd non solum honoris ipsorum causa actum promotionis vestra praesentia ornatorem & magis illustrem reddere: verum etiam vota sua cum votis ipsorum coniungere voluistis, ut attributi honoris gradus, ad diuini nominis gloriam, ipsorum & aliorum, maximè verò ad Ecclesiae & Reipub. salutem cedant. Agnoscunt etiam eò magis vestram humanitatem & erga se beneuolentiam singularem, quòd peractis solemnibus non grauatè ad hoc tenue conuiuium, quod iucunditatis gratia pro veteri more institutum est, accedere dignati estis. Hæc ipsa vestra beneuolentia ac humanitas, ut illis ac toti facultati iuridicæ longè gratissima est: ita eandem debita cum gratitudine apud alios toto vitæ suæ tempore prædicare & condigna memoria conseruare studebunt. Cumq; prudentissimus & vigilantissimus inclytæ huius Reipub. Senatus, præterquam quòd suos legatos ad ornandum promotionis actum deputauit, insigni etiam munere, donatis aliquot cantharis optimi vini, dominos nouellos Doctores & Licentiatum, nec non vniuersum collegium Iurisperitorum affecerit: est quapropter maiorem gratiam Senatui se debere fatentur. Etsi verò dominus Decanus & noue I Doctores & Licentiatum summis votis optarent, potuisse se, vos clarissimos & prudentissimos viros opiparis lautisq; ferculis, prout vos dignos esse & se decere iudicant, excipere: tamen cum hoc tempore alia præter vulgare obsonium nullo neque pretio neq; precibus conquirere & comparare

potuerunt: orant officiosè & amanter, vt pro temporis ratione, tenuem istum apparatus æqui boniq; consulere: & potius animi promptitudinem, beneuolamq; voluntatem, quàm ferculorum splendorem & lautitiem spectare & laudare velint. Cuius quidem obtentæ petitionis firmitus argumentum capient, si defectum lautioris cibi, hilariori haustu vini & colloquij suauitate vos supplere videbunt, idq; vt aliquot adhuc porrò horis in hoc confessu faciatis, summis precibus à vobis contendunt: & quò in hac parte obsequentiores æquioresq; vos præbueritis, eò maiori se beneficio affectos esse iudicabunt. Denique dominus Decanus & nouelli Doctores & Licentiatus atq; etiam tota facultas iuridica, pro omnibus & singulis vestris officiis, quorum quidem plurima esse non differuntur, suam vicissim obseruantiam, studium promptissimum & perpetuam gratitudinem quouis tempore & loco pollicentur, eaque sempiterna memoria conseruabunt.

RÉSPONSIO MAGNIFICI D. RECTO-  
ris M. IOHANNIS FREDERI ad præ-  
cedentem gratiarum actionem.

**C**Larissimi, nobiles, ornatissimiq; viri, Magnum & excellens decus & præsidium reipublicæ eximium ac ornamentum singulare est Iurisprudentia ac custodia legum, quæ sapientiæ iustitiæque diuinæ radij sunt, & nerui disciplinæ honestæ ac pacis inter homines, in hac societate ciuili tuendæ, hunc ob finem, vt in cætib; & politis amantibus studiosisq; omnis honestatis & tranquillitatis vera Dei notitia longè lateq; propagetur.  
& Deo

& Deo sancta colligatur Ecclesia, quæ ipsum in hac vita  
& omni æternitate celebret. Deo igitur maximo eidemq;  
optimo auctori & fonti iurisprudentiæ primùm toto pecto-  
re gratias, reuerendi & clarissimi Doctores, & amplissi-  
mi, prudentissimiq; Consules & Senatores, omnesq; a-  
deo cæteri Domini præsentis vobiscum mea voce agunt,  
quòd non modò clementissimè eos viros huic Acade-  
miæ ciuitatiq; nostræ & toti ditioni dedit, quorum do-  
cendi dexteritate & ministerio in tuenda asserendaq; sin-  
ceritate religionis, his perturbatissimis Ecclesiæ tempori-  
bus, vtitur, verumetiam Iurisprudentiæ assertores, quibus  
tota ferè moles gubernationis Reipub. hoc tempore in-  
cumbit, dum consilia de rebus maximis, de pietate, de  
iustitia, de omnibus pacis & belli neruis, de coniugijs,  
de singulorum domibus & patrimonijs tutandis sapien-  
tia & tenore legum gubernant, tribuit. Tales viri lucem  
ingenij & nitorem eloquentiæ ac virtutem consilij sui  
principibus & priuatis porrigentes, quos suarum rerum  
incertos, vt in Ennij versibus est, ope sua ex incertis cer-  
tos compotesq; consilij dimittunt, vt ne res temerè tra-  
ctent turbidas, eximia Dei dona sunt, & communitatis  
humanæ muri & munimenta insignia; quibus gratitudo  
& honos ab omnibus debetur: quemadmodum Athenis  
quoq; iurisconsultos & νομοφύλακες singulari illustriq;  
loco candidis fascijs ornati in publicis conuentibus soliti  
fuerunt collocari: quorum officij fuit, cæteros magistra-  
tus vt ad præscriptum iustissimarum legum rectè atq;  
ordine omnia agerent, item iudicum reliquorumq; ciui-  
um facta & mores obseruare & ad custodiam legum re-  
uocare &c. Tales νομοφύλακες legum ornamenta &  
munimenta, iuris asyla, morum bonorum aræ, æqui &  
boni.

boni lumina & columnina, grauitatis & integritatis cul-  
tores, & iustitiæ sacerdotes in hac Academia & repub.  
aliqui subinde existunt, & omnes esse eiusmodi tenentur:  
Quales olim fulserunt in vrbe Roma Scipio Nasica, Sex-  
tus & Pub. Aelij, Cato censorius, rigidi seruator honesti,  
Publius & Quintius Scaeuolæ, Seruius Sulpitius & dein-  
ceps Papinianus & nostra memoria Hieronymus Schur-  
fius, & alij: pro quibus meritò gratiæ Deo, vt diximus,  
debentur, qui vt plures tribuat non absimilis excellentiæ  
& virtutis, toto pectore est orandus. Gubernatio enim  
orbis & urbium in manu Dei est, qui dat principes bo-  
nos & iurisconsultos bonos & doctos. Quare hodie eti-  
am ad actum promotionis nobilium & honestissimorum  
doctissimorumq; virorum eò libentius & frequentius ac-  
cessimus, quibus de honoribus eximijs & dignitatibus  
insignibus gratulamur, eorumq; salutem & incolumita-  
tem Deo iuris omnisq; honestatis boniq; fonti commen-  
damus. Et cum spectabilis & clarissimus dominus De-  
canus D. HENRICVS CAMERARIVS com-  
pater & collega noster colendus præclare de Academia  
hoc etiam nomine meritis, quòd promotione hac celebri  
& illustri eam exornauit, qui *πράξιον ῥαγικῶς* lugens  
obitum senis venerandi, foci sui huic conuiuio interesse  
non potuit (quem luctum optassemus non incidisse) Ex-  
cellentiæ Tuæ clarissime & optime domine Doctor  
CLINGI, partes gratias agendi dederit, agnoscimus  
illius virtutem & humanitatem, quòd ea etiam in magni  
loco beneficij à nobis accipiat, quæ sine reprehensione à  
nobis prætermitti non potuissent, imò nos meritò cum pro  
donis nobis à dominis nouellis Doctoribus in templo  
exhibitis, tum pro hoc conuiuio splendido et humanissi-  
mo gratias agimus, nobilitate generis & doctrina ac vir-  
tute




tute ornatissimis dominis Doctoribus & Licentiato. Atq;  
cum prudentissimi & optimi domini consules pro vino  
honorario sibi gratias agi audierint, prædicant hanc do-  
minorum virtutem, qua ostendunt, hanc significationem  
benevolentia non ingrati sibi accidisse. Quia etiam  
porro amanter petatum est, vt lætitiã nostram hila-  
riore haustu vini & colloquio mutuo & suavi a-  
lijsq; modis testatam faciamus; in eo, vt cœ-  
pimus, officij lætorum conuiuarum eri-  
mus memores, & singuli officia &  
gratitudinem nostram dominis  
nouellis Doctoribus & Licen-  
tato deferimus & pol-  
licemur.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



















153456

ULB Halle

3

002 677 407



VD 77



omnibus. Sanctus sanctus

**C**ommunicantes et noctem ut dicitur  
sacratissimam celebrantes. qua bea-  
tissime intemerata virginitas. huius mundi  
salvatore. Sed et memoriam venerante-  
mus eiusdem gloriose semp vir- ginis mar-  
tris eiusdem dei et domini nostri ihesu christi. Sed et  
torum apostolorum tuorum

**C**ommunicantes. et diem sacratissimum celebra-  
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. natu-  
sus in veritate carnis nostre visibiliter carnaliter  
apparuit. Sed et memoriam

**C**ommunicantes et diem sacratissimum celebra-  
tes. quo dominus noster ihesu christe pro nobis est  
Sed et memoriam. Hanc igitur oblationem



36.  
ACTVS  
PROMOTIONIS,  
QVA

DECANO HENRICO CAMERARIO J. V. D. & Professore in Academia Rostochiensi, gradus Doctorum & Licentiati utriusq; Juris, clarissimis viris, nobilitate generis, virtute & eruditione praestantibus, D. CHRISTOPHORO STVRTZIO Limono, D. ERNESTO COTHMAN Lemgoio, & L. VVOLFGANGO HANEN Halensi, 8. Octob. An. 1584. collatus est.



ROSTOCHII  
Stephanus Myliander excudit.  
ANNO  
M. D. LXXXIIII.

32 a. fin.

